Arngrimus Jonae:

Anatome Blefkeniana.

ANATOME BLEFKE-NIANA,

Qua

DITMARI BLEFKENII VISCERA magis præcipua, in libello de Islandia, An. M.DC.VII edito, convulsa, per manifestam exenterationem retexuntur.

PER

ARNGRIMUM JONAM ISLANDUM.

Est & sua formicis ira.

HAMBURGI,
Ex Officina Typographica HENRICI CARSTENS.
ANNO M.DC XIII.

ILLUSTRIBUS

PRAEDIVITIS
AC BELLICOSÆ HOLLANDIÆ ET WESTFRISIÆ ORDINIBUS; NOBILissimis Viris, Dominis amplissimis.

S.

SI mihi sub vestro nasci & vivere contigisset cœlo, Illustres Ordines, Viri & Domini amplissimi, majore forsan cum fiducia, Excellentias Vestras, majoreq́ue cum veniâ & magis pro dignitate compellarem, utpote, Heliconi ipsi vicinior & Castalio latice delibutior. Quod autem meo fato, tam procul vestro axe remotus, iisq́ue quæ ad honorificam compellationem vestri, solis sapientibus & eruditis permissam, merito requiruntur, destitutus, Excellentias V. nihilominus salutare præsumam, facit Dithmari cujusdam Blefkenij non uniusmodi aut levicula injuria quâ nuper patriam meam Islandiam ignominiosè affecit: Scripto nempe de Islandiâ, ut mendacissimo, ita contumeliosissimo, Lugduni Batavorum ex typographeo Henrici ab Haenstens, Anno 1607 publicato ac Excellentijs V. temerariâ audaciâ dicato. Cui injuriæ Blefkenianæ quum vicissim defensione innocentis gentis aliquâ, obviam eundum esset, visum est simul apud Excellentias V. aliquid præfari: Ne quis nimium miretur, aut vitio vertat: illius & fidem & æstimationem à nobis in dubium vocari, qui hoc suo scripto, gratiam à superioribus & æstimationem: in vulgo autem eminentiam, venari voluit: Multa enim hoc loco concurrunt, quæ stomachum nobis moveant & dolorem conciant justissimum: sive ipsum scriptum Blefkenianum, sive scripti dedicationem spectes.

Nam præterquam quod populum innocentem & immeritum: immo, ut sequentia ostendent, bene de se suisq́ue popularibus meritum, falsissimis probris lacerat: etiam in Sereniss. Regum Daniæ & Norvvegiæ Majestatem videtur, famoso suo scripto sat injuriosus fuisse. Quid? Immo: in ipsius Dei Opt. Max. nomen & numen satis impius: Dum quos Divina clementia homines fecit, eoq́ue legis Naturæ, rationis & honestatis participes; Is infra bestias, omni honestate in vita communi, & storgâ naturali, in proprios liberos, quantum in ipso est, despoliando, abijcere satagit. Viguisse autem in nostrâ gente, omnis humanitatis & honestatis amorem & inclinationem, etiam ante Christianismum (ut loquuntur) susceptum, testis erit legum scri-

ptarum rigor adhuc extantium, quibus in autonomiâ suâ Islandi vixerunt: ut etiam Historiæ nostratis continuata series: De quibus alibi. Dum verò Blefkenius Islandos, etiam Christianos factos, & quidem usq; ad Annum 1608. quo hæc sua edidit, identidem calumniatur; manifestum est, quid injuria ad ipsos Daniæ & Norvvegiæ rēges inde redundet: Quibus de subditis Islandis, veteres Leges (quantum ad honestum & æquum, nulli ferè Ethnicorum politiæ cedentes) ad pietatem & nomen Christianum, non solùm informando, sed & strenue exequendo, longe sanctior longeque illustrior curæ fuit, quam ut Naturæ & honestatis vigore proculcato, bestiarum more aut deteriore forsan, vivere sinerentur: id quod tamen temerarius ille non uno loco Islandis affricare conatur. Quis itaq; nobis æquior esse nolit, dolentibus non de vulnere saltem nobis inflicto; Sed ad hæc, optimorum & sereniss. Regum nostrorum Vigilantiam & curam quam pro salute etiam nostræ gentis jam diu, atq; inde ab initio deditæ primum Islandiæ, summâ cum laude, pietatisq; & honestatis emolumento gerunt, per nostrum latus à Sycophantizante Blefkenio obliquè peti & configi?

Quantum verò ad dedicationem Libelli attinet, Blefkenius falsum & famosum non contentus scripsisse libellum, ut animum injuriosum magis expleret, injuriā injuria cumulavit, eidem Patronos & quidem tantos ac tales, ac simul autoritatem quærendo & conciliando: Satis superq; fuisset maleficij, si tam putidas pagellas absq; dedicatione publicasset: Quod verò illustri Ordinum Bataviæ titulo, abusus sit, ad suas illas spurcas calumnias velut crustâ aureâ aut emblemate gemmato, ornandas & fucandas, ut sub tam illustrium nominum præsidio & tutelâ pro historia venditarentur, id inq; est, q injuriam satis alioq; atrocē adhuc atrociorē faciat. Non sanè eò, Illustres Ordines, q Blefkenij deformem illum fœtum, ab Excellentijs V. ulla cum gratia exceptum suspicer (à quo dubium minimè est, quin oculos & animum indignabundi averteritis) sed quia, ut dixi, incauto lectori (asinum Cumanum, leoninis indutum exuvijs, se pro Leone venditantem, imitando) hoc modo imponere decreverat. Cæterùm quid interim, Viri Illustres, contra Excell. V. præclara sua dedicatione, molitus est? Nonne hoc? Ut quam rem in primis odisse, quippe pœna civili afficiendam (dico ipsius famosum de Islandia libellum) & detestari conveniebat, eam, siquidem id obtinuisset, muneris & officij loco haberetis, & illustris nominis vestri p̄sidio tutaremini? Sub vestro, inquit Blef. Illustres Viri patrocinio, in lucem p̄dire volui: interim vos veró illustres viros precor, ut hoc opusculum placido ac benevolo animo accipere velitis, &c. *Quare dubito impudentiam majorē an temeritatem prodiderit. Nôrat siquidē Blef. Illustres Bataviæ Ordines nominis sui splendore omnium mortalium oculos jam pridem perstringere: famâ omniū aures cōplere: admiratione animos: Ac interim demens, Archilochi illud suū melos, sannis, obscœnitate, calūnijs, scommatibus oppletū, ab ijsdem susceptū iri cogitat: eiq; favorē, benevolentiam & patrociniū indulgeant, expetere & expectare audet, homo, mehercle, quos hic Sol aspexit, impudentissimus. Quod quæso quidnam aliud est, q̄ illustriū Ordinum & ampliss. Virorū virtutem integerrimā & intaminatam in dubium vo*

care? Splendori nubeculam immittere? Famam, vel hac parte obfuscare velle? Norat inquam re ipsa vir ille, si modò vir est, qui meretricia fronte (sit honos auribus) puderem & verecundiam prostituit, eamq; impudentia & petulātia commutavit: Norat tamen ille noster Islandomastyx, non esse vos, ampliss. V. maleficorum criminationū, & libellorum famosorum patronos, Sed vindices. Quin & hoc norat Blef. siqdem (ut ille pfitetur) theologus audit, canem, licet apud gentes alias, alijs Dijs sacratum: tamen in domo Domini immundum & pfanum haberi: non ipsum solum canem, sed canis etiam preciū, vel ex mundis animantibus delectum, indidem (quia canis preciū) explosum esse: Ac interim latratus suos caninis similes, seu commentarios (ut vocat) qbus Island. æstimationem & nomen Christ. allatravit, inq; superiores injuriam non levem designavit, vobis Illustres Ordines, Vobis inq̄, q in Politia, vicē Dei geritis, censuit consecrandos, vestròq; patrocinio & favore ptectum iri, stultissimè sibi psuasit. Nolo viri Illustres, in hanc dicendi partem materia & rebus satis fœcundam, ulterius descendere, ne patientia vestra ullo modo abuti dicar: si perorationis loco illud tantum commonuero, quidnā scilicet inter meum hoc & Blef. scriptum intersit? Ut vel eo considerato, æquiorem censorē mereamur. Ille enim à nemine lacessitus, voluntate sua pversa, peculiari edito opusculo, opprobrium genti nostræ concinnavit: Ego patriæ nomine, immeritis contumelijs & convitijs exulceratæ, illatā iniuriam propulsare satago, Ille non unum aut alterum Islandum, huius aut illius ordinis vel conditionis læsit: Sed gentem universam, nullo habito discrimine, fœdavit Ego non gentem aut patriam ipsius ulciscor: sed in illū solùm, ut meritus est, calamū stringo. Ille eorū canū instar, q submissè allatrando, morsu sunt nocētiores, nos aggressus est, h.e. subdolo prætextu, velut aliud agens (q ex ipso conflictu fit manifestū) convitia spargit & calumnias: Ego serena & aperta fronte, eum me pfiteor, q larvam ipsi detrahat, eumq; suis coloribus depingat. Ille asinum agit Cumanum, ut monitum est; Ego Hospitem illum, asinum leonina exutum, aurium indicio pdentem, repræsento, & p merito suo vapulantē, noscendū exhibeo. Ille prior vim fecit: Ego vim iniq̄ vi æqore repello. Ille ann. 40. bilē atrā concoquere non poterat, quin eam tandem, licet alio (ut dixi) prætextu, in Islan. evomeret: Ego mox ut de ipsius iniuria constitit, Annēpe 1611. labētè, Helleborū cōpetentē uti existimo, ipsi cōcinnavi, quem tradente Plin. ad atrā bilē extrahendā oportunū cōstat, si fortè bilis adhuc residua Blef. occupet stomachum. Quod si Melāpodiū hoc minº purget, pparabitur suo tēpore aliud efficaciq modo de morbi ptinacia, æger, q etiānū vivere creditur, nobis cōstare faciat. Ille deniq; cū indignissimo munere, uti dictū, in cōspectu Illustriū Ordinū cōparuit, eorūdē patrocinū & favorē mercaturus; Ego me apud eosdē humaniter & modestè excusatū cupio: q mastygē gētis nostræ, ipsorū benevolentiā citra verecūdiā implorātē dignis modis tractem. In me unum si privatim adversarius pecasset facilè ferrē. Iam verò notoria & publica iniuria hac requirit talionem. Cæterū vos Viri Heroica excellentia illustres, valete diuq; & feliciter vestro subiectas terras imperio gubernate. Ex Islan. boreali: Anno S.D.N.I.C. 1612.

GVDBRANDVS THORLA-
CIVS SVPERINTEND. HOLENSIS
in Islandia boreali, Lectori

S.

POstquam in lucem editus esset Anno 1593. Libellus quidam apologeticus, adversus eos, qui partim errore, partim calumniandi studio ducti, de Islandiâ varia & minus vera scripserant; Neminem adeo pervicacis animi & naturæ perversæ futurum, certo mihi persuasi, qui veritate cognitâ, solo lædendi & diffamandi studio mendacia & calumnias, de innocente & remotâ gente, denuo spargeret: libelli siquidem illius exemplaria per Daniam, Germaneam & forte latius distracta sunt & divulgata.

Prodit nihilominus, præter opinionem, novus adversarius, tam recentibus, quam inveteratis instructus opprobrijs; qui ut difficilius agnoscatur, fraudem fuco obtegit, simplex veritatis prætendit studium: & pelle tectus agninâ procedit, ut vir candidus appareat.

Idcirco virum probum & eruditum, Arngrimum Jonam, Apologetici superioris autorem, qui hoc in primis sibi proposuit, patriam suam à convitijs malevolorum vindicare, nolentem volentem res ipsa adigere videtur, ut brevi scripto, omnibus veritatem amantibus & mendacia detestantibus patefaciat, quantopere gentis Islandicæ nomen & famam conspurcare studuerit impurus ille historicus & novus adversarius; Non sane, quod solus Arngrimus hoc muneris præ reliquis Islandis sibi arroget; Sed ne amorem patriæ, quo prius ad scribendum impellebatur, nunc urgente novo convitiatore exuisse videatur.

Hostis ille est Dithmarus quidam Blefkenius natione, ut puto, Germanus, qui quamvis descriptionem Islandiæ polliceatur, aliud tamen nil agit, quam ut collectis contumelijs, mendacijs & opprobrijs, Islandiæ contemptus notam apud gentes exteras inurat: unde fit, ut aliud in titulo promittentem, aliud in materia tractantem Lector facile deprehendat. Profitetur equidem ille, verecundiam se & veritatem amare; sed inverecundè prorsus gentem nostram maledictis consectatur. Adversus improvisum hunc hostem, cum etiam vivorum testimonio agi satis possit, me quoque ut ætate provectiorem, annum jam agentem septuagesimum, Arngrimus Jonas consuluit, petivitq; ut quod ex temporis, rerum personarum & locorum non fallentibus circumstantiis colligi possit, lectori publice communicarem; id quod ipsi non denegandum existimavi.

Anno

Anno igitur 1564. cum se elapsam hyemem in Islandia transegisse Blefkenius testatur, idq; Bessastadis in residentia præfecti Danici; Ego ex Dania navigans in navi illâ regiâ quâ præfectus vehi quotannis solebat, portum Bessastadensem in Iunio ingressus sum, ibiq, virum nobilem, Paulum Stigotum, piæ memoriæ, hic tum residentem salutabam, cujus frequentiore conversatione & colloquio usus sum, dum ille quid in Daniâ, ego quid in Islandiâ rerum ageretur, invicem percontabamur: In foro Thinguallensi seu anniversario ad 30. Junij & sequentibus una fuimus, donec ego Scalholtiam ad functionem scholasticam proficiscerer: ille ad se reversus, rebus suis dispositis in sequenti Iulio in Daniam solvit, Nec ante Junium anni sequuti 1565, reversus est; quod ex actis istorum temporum, præter vivorum testimonia, firmissime Arngrimus Ionas convincit & in hoc libello latiùs edocet. Scalholtiæ triennium exegi & præfectus Anno 1565. rediens, ineunte Majo Anni, 1566 fatis concessit,

Cùm itaq; mihi de ijsdem temporib⁹, rebus & locis, quorũ mentionem facit Blefkenius, optimè constet; palam asserere non vereor, ab Anno 1563. in annum 1564. neq; navem Regiam ullam in Islandiâ hybernasse neq; à præfecto, labente Martio Anni 1564, ullam navem in Gronlandiam ablegatam esse, inq; proximo Junio reversam; neq; ullos Islandorum ad hanc navigationem Gronlandicam assumptos, ut à Blefkenio confingitur. Similiter nullum Dithmarum Blefkenium novi aut audivi, imo nullum extraneum, continuo isto triennio, quo Scalholtiæ vixi, qui iter ad montem Heclam tentaret, comites Islandos sibi adjungeret, menses duos in isto itinere decumberet & sequentem hyemem anni 1564. apud præfectum Bessastadis viveret; nam ille tum in Daniâ absuit.

Constantissimè præterea nego, Anno 1565. mercatores extraneos, propter gliscens Bellum Sweticum, consuetam navigationem, in Islandiam suspendisse vel navem annotinam ut vocat, desideratam esse, ut quæ istius anni Iunio præfectum advexeret: æquè verum est illud de aucupio Hispanorum in Islandiâ; itemq; de monacho Grunlandico, ut superiora, longè omnium falsissima; quæ singula ipsa Anatome Blefken. specialiùs ostendit.

Extraneorum omnium fidem appello, quotquot hujus terræ conditionem noverunt: an possibile sit hæc ita ut à Blefkenio narrantur, gesta esse, me & alijs quam plurimis, qui idem mecum testabuntur, non conscijs, Non ea est habitationum varietas, non hominum frequentia, non locorum tanta intercapedo, non mea aut aliorum omnium tam insignis ignavia, ut res ista sic gesta, & tum, & postea annis plusquam 40 latere potuerit.

Libel.

Libellum itaq; hunc cui author titulum fecit, Anatome Blef. à me prius perlectum & diligenter expensum: quum à veritate alienum nihil cõtineat, typis Holensibus vulgari passi sumus, ne in probra & convitia turpissima, quæ in suum libellum impudentissime congesserat Blef. silentio consentire videremur.

Profiteor etiam quæcunq; de latitudine Islandiæ Arngrimus Ionas annotavit, eadem me teste, experientiâ propriâ edocto, vera esse: De quibus etsi prolixius agi poterat, tamen pro captu Blefkenij ista sufficere judicavimus. Nihil equidem bonis aut doctis detrahere volumus, quorum se numero calumniator ille Islandiæ multis modis exemit, quod præsens Arngrimi Jonæ tractatus satis comprobat. In quem, quia cordatis omnibus & amantibus veri non displiciturum confido, hac appositâ præfatiunculâ consentire voluimus.

Verùm si quis æstimet, quæpiam in hoc libello acerbius & majore cum indignatione in Dithm. Blefkenium dicta ac scripta esse: is quæso animadvertat, veniam mereri, si quis in injuria parentis privati vindicâdâ, storga incitante, limites paululum egrediatur: Quis, si idem fiat in ultione pro patriâ quæ communis est omnium parens, se vere repræhendendum putet? Tum etiam ut qui dicit quæ vult, quæ non vult vicissim jure talionis audiat, quis vetabit, Studium deniq; tuendi nominis & famæ apud nullam omnino gentem illicitum aut inhonestum fuisse: quá (fama) semel amissâ postea nullus eris, unde etiam infames civiliter mortui habentur. Enimverò si quis magno accepto vulnere, ferientem revulnerando vitam salvet: nonne judicem experietur mitiorem, quam is à quo plaga prior inflicta est? Porro cùm nullum sit atrocius vuln⁹ quam falli ab amico, in quẽ plurima contuleris beneficia; Quis id injuriâ fieri dicat, si Blefkenius quem Islandi olim, ut exulem; humaniter & amicè exceperunt, & ipsomet teste, vario officiorum genere sibi devinxerunt, prior lacessendo, plagam aliquam reportet? Sed tu vale candide Lector, & temerarium hoc Blefkenij scriptum ac vicissim justissimum Arngrimi Jonæ Apologema, æquo judicio perpende, & quo merentur, suo quodq; loco, in pretio habe.

Vale

ANA-

ANATOMES BLEFKENIANÆ

Pars prior.

DE nomine Anatomes, initio & ante omnia Lectorem diligenter monitum volumus: quod licet illa, ex animo plurimum corpori accidat: inde tamen nullum argumentum, de adversarij morte capiat: quem etiamnum vivere statuimus: quemq; idcirco sæpiusculе ut adhuc in vivis agentem compellamus, atq; ad respondendum invitamus: Neq; enim post Annum 1607. quo hæc sua edit & ordinibus Hollandiæ dedicat, de ipsius morte, vel levi saltem fama accepimus: alioqui minime ignari, aliam vivis, aliam larvis luctam competere. Quod vero nihilominus & anatomes & cadaveris vocem usurpemus: atq; ita res tractetur, ac si ipse jam coram secaretur Blefkenius, nemo jure improbaverit: quum constet viva nonnunquam dissecta & exenterata esse corpora: quumq; auctor pro scripto acceptus, isti cavillo ansam præcidat. Sin autem omnino, corpus exanime sicve cadaver, anatomes subjectum quispiam pertinaciter statuat: quis scriptorem hunc tam spurcum, Dithmarum inquam Blefkenium, civiliter mortuum neget?

Cæterum quum ex ipso titulo libelli, consilium scriptionis intelligatur, nempe directum esse contra Dithmari Blefkenii scriptum famosum de Islandia: nolo lectorem ullo prolixiore detinere proëmio. Quin potius statim initio, duo constituam Anatomes Blefkenianæ capita: Quorum prius, ipsissimam Anatomen, sive, eviscerationem: Posterius Anatomes parerga: h. e. textus Blefkeniani analysin historicam cum suis notis, continebit: Ita; ut hoc posterius priori illi subserviat, illudq; velut perficiat: ut exemplum, regulam: aut ut ratio, propositionem. Quæcunq; enim in textus analysi historica

historica

ſtorica notatu digniora occurrent, ad domicilia ſua, velut cellas aut forulos, capite priore monſtratos, referemus: ut nihil admodum ex hoc copiæ cornu Blefkeniano incuſtoditum pereat.

PARTIS VEL CAPITIS PRIORIS diſpoſitio.

In ipſa autem Anatome, non univerſum corpus, quoad partes ſimilares & diſſimilares artificibus nuncupatas ſecabimus: eò quód totalis ſeu univerſalis Anatome, Lectori meo tœdioſa futúra ſit, & mihi etiam optimam temporis uſuram everſura: Sed corporis tantum partes vitales, easq; præcipuas, ut titulus promittit, inſpiciemus.

Interiorum itaq; corporis (ajunt medicinæ conſulti) tres omnino factæ ſunt regiones, propriis q. ſepimentis obuallatæ: quibus vitalia magis præcipua comprahenduntur: & quas alii tres ventres appellant.

1. Prima regio ſuprema, in capite & cerebro, ſenſus Rationisq; ſedes:

2. Media, pectore comprahenſa, ſpiritus & vitæ domicilium.

3. Infima ſubter diaphragma & abdomen, Naturæ & altricium facultatum officina, &c.

Iſta nunc placet medicorum conſulta ſequi in inſtituta Blefkeniana Anatome: Sordet enim ipſius arena ſine calcê & methodus operis vel (ut is loquitur pag. 11.) Commentariorum de Iſlandia, annis licet plusquam 40. digeſtorum, ut ille idem teſtatur: ac chartis interim vix quinq; comprahenſorum, puta, ne áb his 40. Annorum Digeſtis, Digeſtorum Iuris Civilis volumen, quoad operis Majeſtatem, ſibi metueret: Nam ut apparet, id, ab autore data opera cautum eſt. Sit igitur pro tribus interiorum corporis regionibus, triplex etiam partis prioris diſtinctio.

Primo enim Caput & Cerebrum h. e. ut dictum, regionem & ventrem ſupremum, conſiderabimus. Secundo, Pectus, qui venter medius illis eſt. Tertio, ex iis, quæ infimo continentur ventre, ſolum ventriculum, ſpecialius ſic dictum, aut ſi tempus feret, etiam jecur, expendemus

PARTIS I. MEMBRUM I. de *Capite & Cerebro*

In Capitis & Cerebri dissectione, quod rationis sensuumq; interiorum, ut dictum est, sedes statuitur, primo loco SAPIENTIAM: Deinde VERECUNDIAM requiram: ad quam inquisitionem, illa vitæ Blefkenii pars, quam in hoc opere, nobis communicare dignatus est obiter assumetur. Et sanè, ad Sapientiam quod attinet, non frustra, ut spero, inquiritur. Vos tantum oculis animisq; spectatores, adeste, ut Minervam ex hujus Jovis Capite exsilientem contemplemini: Ego Vulcani securim præstabo introspecturis

Minervæ vel sapientiæ Blefkenianæ, nucleus hic est: velle per hos commentarios de Islandia emergere & caput (ut ille inquit) *exerere umbris, 40. annos durantibus: tum quâ eruditionem: tum quâ pietatem & mores.* Heus puer, scalpellum mihi probe acuas, nam & pericranium incrassatum est, & adeps alioqui peritonæo & abdomini proprius, Jovis ho: Capitolium invasit ac cerebri claustra obsedit: Cedo novaculam: satis incidit: Fiat itaq; apertio bregmatis. Hem: video primum utraq; confecta meninge, bene turgidum Blefkenii cerebrum: & quidem Sacerdotii, vel ut ipse ait, pag. 19. Ministerii Verbi divini, dignitate: Quod ex vita sua hic primum allegat. Est revera callidum hoc satis ad conciliandam scripto fidem aucupium. Sed ne fraudem ipsi facere putet: ipsum adite, pag. prædicta.

Anno 63. inquit, supra millesimum quingentesimum, binæ Hamburgo naves onerariæ Islandiam navigare decreverant: vectores antiquâ consuetudine, Verbi Divini ministrum sibi adjungere volentes, ecclesiæ Hamburgensis ministris, munus hoc committunt, orantq; ut illis de ministro despicere velint Erat tunc Ecclesiæ Hamburgensis Superintendens Doct: Paulus ab Eitzen. Quum vero ego Hamburgi substitissem, supellectilem librariam Rostochio exspectans, familiaritatem cum Paulo & cæteris ecclesiæ ministris contraxi: ad me igitur delata

est provincia: quam eo libentius, quod sitiens eram res novas & varias regiones cognoscendi & illorum hortationibus parens, suscepi, Hæc Blefk.

Hinc concludere recte videor: Blefkenium, jam tum se Verbi Div. ministrum profiteri. Sed an tum primum Hamburgi ordinatus sit: an eòdem, pastor sine ovibus discurrens, ibidem nauticum tandem auditorium nactus sit: non ita constat.

Prætendit ille quidem suis peregrinationibus, rerum novarum & regionum cognoscendarum sitim, pag: citata: Sed ante merito dixisset: qua ratione, Ecclesiam concreditam, si quæ fuerat, reliquisset. Ne quod Ioannes Upsalensis, nominis Danici strenuus sugillator, olim à Petro Parvo Rosæfontano, Equite Dano, id hic nunc Blefkenius merito audiat: DESERTOR ECCLESIÆ COMMISSÆ.

Deinde oportuit, rerum & regionum novarum, tam avidum, ante susceptam spartam Ministerii Divini aviditati suæ satisfecisse: Non quia nulli peregrinati sint Ecclesiarum ministri, sed ii plærunq; vocati, vel mediate, vel immediate: ut jam aliud esse intelligamus, ministrum verbi divini, novitatis ergo saltem peregrinari: aliud: vero, vocatum: aut etiam coactum (quod multis usu venerat) idq; totum quinquennium, ut de se Blefkenius testatur: cum quis queat citius ad munus Ecclesiæ reverti, si id injunctum habeat. Licet autem, itineri suo Islandico, vocationem prætendere jure videatur noster Dithmarus: Tamen ista vocatio, neque moram in Islandia (pudet enim ipsum dicere, qua occasione in Islandia remanserit & nauticum suum auditorium contra dictam suam vocationem deseruerit) neq; reliquam quinquennij peregrinationem excusat. qua propter mihi suspicio est de Relativo sine suo Correlativo: quamvis contra Relatorum naturam: h. e. de Pastore sine Ovibus vel ab ovium cura, nescio qua causa, submoto. Solam enim ut dixi, rerum & regionum novarum sitim, Pastoralibus & quinquennalibus suis feriis prætendit: quam quo modo & quam laudabili

cum

cum fructu expleverit, ſequentia docebunt. Redit igitur poſt quinquennij divagationem, ad ſtudia, ut ipſe ait, pag. 11, intermiſſa: Quæ qualia aut cujusmodi fuerint exemplo ſint hi de Iſlandia commentarij ſatis putidi. Tandem vocatur ad aulam Scoveburgicam: non dicit an ad Concionatoris, an vero, apparitoris munus, reſignato ſc. miniſterio Verbi Div. Eſt profecto hic dolendum vocationem Scoveburgicam, per iter Vienenſe, Comitis Ottonis, interveniens, tam concinnum ordinem (vt conqueritur ipſe pag. 12.) commentariorum de Iſlandia, impediviſſe: qualis ſc. concinnitas, jam tandem poſt annos 40. illuceſsit: O quantum debet Iſlandiæ bonus ille Otto, quod ipſius hoc iter laudes Iſlandiæ & celebritatem nominis Blefkeniani, retardauerit: Cœterum dulce Ottoni, commune naufragium: dum etiam hic, ſi Diis placet, reus factus ſit Archiepiſcopus Colonienſis: quippe qui Blefkenium, fortaſſis ut grammatophorum vulgarem Bonnam ablegarit, & quidem, ut apparet, ſolitarium (nec enim ulla fit dignitatis ſacerdotalis aut ſodalitij, aut negocij obeundi mentio) & quod gravius eſt, infauſto ſidere: Nam non ſolum Blefkenius, de vita periclitabatur: Sed quod ipſi vita præſtantius, aureum hoc de Iſlandia opus, in diſcrimen venit: quod jam tot annos concinnans & ſemper (ut ait) circumferens ac velut theſaurum draco circumplexus, Coloniæ erat enixurus, pag. ipſius 12. Periculum autem illud erat, tam vitæ quam operi iſti aureo, à latronibus ſæviſſimis, Qui Blefkenio ſeminece (pro mortuo, ait ille) relicto, commentariis de Iſlandia, ipſum exſpoliabantur: Quos ſi eo fato perire penitus contigiſſet, ad eorum ſanè interitum, bibliothecæ Alexandrinæ diſpendium, toti alioqui orbi illacrimabile, ut in quo 700000. librorum concremarint vileſceret. Sed ſervatum eſt hoc opus Commentariorum Blefkenio: non minore cum miraculo, quam ipſa vita, vulneribus 23 confecto, pag. 12. Non diſſimili ſc. fato, cum libellis & commentarijs Cæſaris de bello Gallico & Civili, quos è pugna Alexandrina enatans, una manu ſuſtentavit, ipſum paludamentum mordicus trahendo:

& quos Caſſius ac Brutus poſtea totidem vulneribus Cæſarem conficientes, quot latrones illi, Bleſkenium, delere tamen non potuerant. Sed hoc intereſt, quod Cæſar exſpirans, infinitos habet ſuarum virtutum teſtes & laudum præcones: Bleſkenius autem reviviſcens ſolus rem geſtam narrat. Illum mortuum ſui Commentarij, illuſtrem & immortalem reddiderunt: Hunc vivum ſui, ipſis umbris obſcuriorem faciunt: qui militis cujusdam auſpicio paulo poſt reſtituti ſunt, atq; in hunc uſq; annum 1607. reconditæ inſtar gazæ: cui parem ex ultimis & extremis Indiis, claſſis Hollandorum vix aſportet ad dedicandum inclytis & illuſtribus Hollandiæ ordinibus deputati: Atq; hæc tantum ſunt, quæ de vita ſua, nobis conſtare Bleſkenius voluit.

Unde primum SAPIENTIÆ BLEFKENIANÆ tecmyrion deprehenditur: Miniſtrum nempe Verbi Divini ſe profiteri: ac interim ita divagando à laboribus Eccleſiaſticis feriari annos complures: ſuoq; genio maleferiato, rerumq; & regionum novarum auido in hoc indulgere, ut de hac vel illa gente, tales edantur commentarii, quales hi ſunt de Iſlandia futiliſſimi: quorum tamen calorem & colorem non dum perſpeximus: res autem brevi, ipſa oſtendet. Magnum, inquam, eſt hoc SAPIENTIÆ argumentum & majus adhuc, quod ſequitur: nempe ex hac divagatione, & profeſſione, laudem aucupari: quod hominis ingenium, etiam vernaculo noſtro proverbio damnatur. Galeñ er Þiopureñ / þa ħañ ſtelur: galdare / þa ħañ hæleſt vm og ſeiger epter ſier. h. e. Fur inſanit quidem furando magis autem de furtis gloriando & laudem captando. Non jam diſputo, qua occaſione in Iſlandia relictus ſit Bleſkenius, quam fuiſſe morbum mentis reor, non ventris aut corporis, ut ille comminiſcitur: ut ſc. rerum variarum ſitim expleret: ipſo confitente: ut ſupra: Sed qua occaſione poſt biennium, non in Germaniam, ſed in Luſitaniam navigarit, apparebit deinceps (vel aliis referentibus, qui Bleſkenianum Chronicon uti ætate, ita veritate ſuperant) ipſum in hac parte prorſus vanum eſſe. Hoc itaq; fuerit Eccleſiam ædificare

ficare ſermoni attendere verbum rite ſecare, ſeq; ad reliquum Spiritus Sancti præſcriptum in ſcripturis divinitus inſpiratis revelatum accommodare. I nunc, quisquis es; & Bleſkenium ſatis cerebri habuiſſe, nega.

Cæterum joco ſepoſito: videndum jam eſt, an hæc SAPIENTIA BLEFKENIANA, vera ſit SAPIENTIA, an ſecus: qua de re Diviniora quædam pronunciata, conſulenda ſunt. *Initium ſapientiæ, inquit ille, vere ſapiens, eſt timor Domini. Syrac. cap. 1. Et alius Sapientia non intrat in animam malevolam. Sapient. cap. 4. Adhæc ſapientum ille ſapientiſſimus ait: deriſorem non inventurum SAPIENTIAM, ſi eam vel ſtudio quærat: &c. proverb. cap. 14. In quem locum Salomonis ait quidam vir doctiſſ. Georgius Remus: I.V.D.* Si quis vult communicare Sapientiæ, is prius extergat oportet & expurget mentem à vitiis, calumnia, ſimilibusq; inquinamentis.

Eſto igitur Bleſkenius titulotenus Verbi D. miniſter. Dum tamen miniſterio ita defungitur: proximumq; & gentem immeritam, traducit, ut dictum eſt, & dicetur multo manifeſtius infra. Ego id ipſum Timorem Domini vocare non auſim; Quin potius aliud quiddam epitheti loco ſortiuntur ejusmodi Miniſtri in ſcripturis D. omnibus notiſſimum. Ubi itaq; non eſt SAPIENTIÆ initium h. e. timor Domini; quomodo quæſo medium aut finis.

Deinde; quo animo gentem noſtram veteribus & novis conviciis proſcindere ſit auſus, non eſt ambiguum judicium Amore ne an odio inquam, hoc fecerit. Id quod ad ſecundum ſcripturæ pronunciatum, jam productum aſſumitur.

Tertio etiam, An qui gentem aliquam immeritam deridendam alijs propinat, deriſoris ipſe effugiat nomen, apud ſanos omnes judicium eſto.

Ex quibus ita propoſitis & aſſumptis, concluſio manifeſta eſt; Nullo modo SAPIENTIAM ſed INSIPIENTIAM. In diſſecto cerebro Bleſkeniano, deprehenſum iri. Etenim, ſive cerebri antica, ſeu appræhenſivam diſcretivamq; ; ſive poſtica: conſer-

conservatricem facultatem, excutias: prorſus male affecta & læſa apparet princeps illa animæ vis & energia, quam rationem plæriq; appellant. Eſtq; iſta Bregmatis & Occipitii conſectio. Frontem videamus.

Verum ſerra mihi, vos miniſtri, opus, quæ futuram coronariam probe ſecet. Quid nam hoc rei eſt? O prodigium: Os ipſum frontis, nuſquam comparet: adeo enim univerſum rationis regnum cephalalgia attrivit & attenuavit; ac inſuper frontis Os, quod oſsium capitis, ſextum eſt numero anatomicis, bene magnum & ſuperne quidem duplicatum abſumpſit. O celſa Auruſpicum caterva: de hoc reſpondeas prodigio.

Revera: ut Cerebrum SAPIENTIÆ, ita FRONS, Verecundiæ ſedes eſt: vel probato ſatis atteſtante loquendi uſu. Unde Hominem audaculum & inverecundum, effrontem dicimus: & perfrictæ frontis. Frons itaq; cui nulla, nulla etiam VERECUNDIA.

Quid igitur in VERECUNDIÆ locum ſurrepſit? Ne roga: illius oppoſitum inverecundia: vel potius IMPUDENTIA. Hic itaq; Ovidius exclamaſset:

Depuduit, profugusq; pudor ſua ſigna reliquit.

Sed oportet quoq; hujus dyſcraſiæ cauſam indagare: De qua mox Seneca reſpondet, quendam ſui temporis, iſto morbo vel malo laborantem innuens.

Aſsiduis convitiis depudere didicit: Cujus rei ulterior applicatio, in caput ſequens reſervanda eſt; ne prolixitas diſputationum, anatomen hiulcam reddat ſpectatorumq; turbet animos & attentionem.

Signa tamen hujus mali, merito hic attingenda forent: quorum unum, pro multis, in præfatione attigimus nempe: Bleſkenium non puduiſse, libellum tam futilem, ſpurcum, fœdum, qualem eum caput ſequens coarguet, Ordinibus Hollandiæ dedicare: De quorum celebritate tacere malo, quam parum aut inſufficienter dicere.

Concurrunt hic tam INSIPIENTIA quam IMPUDENTIA: Nam ut virtutes, ſic vitia ſæpe invicem cognatione quadam junguntur;

INSIPIENS quippe eſt, illud opinari Bleſkenium: libelli ſui fœditatem ulla dedicatione abſtergi, aut palliari poſſe: IMPUDENS vero & inverecundum nimis, adeo illuſtribus Hollandiæ & Weſtfriſiæ Ordinibus, à lectione dedicatione & poſſeſſione tam male feriati opuſculi, non pepercisse: Quorum Celſitudinis intereſſe ſciebat, hujuſmodi libellos famoſos, vel in primis pœna civili afficere: nedum muneris vel oblationis loco, non excipere: aut ad patrocinandum eidem ſuſcipere. Me itaq; Dithmari Bleſkenij miſeret: qui dum ſcripta publico celebrari cupit & Ordines Hollandiæ ſibi conciliare: nec cerebrum habeat, nec frontem. De cujus impudentiâ, quum in præfatione & præcipuè in epiſtolâ ad lectorem noſtrâ, prolixius agatur: ut & ipſo ſecundo capite: nobis capitis vel Cerebri anatome, ſic abſoluta ſit. Pectus ſequitur.

PARTIS PRIORIS MEMBRUM
II. De Pectore.

Huc huc ſpectatores: Huc oculos non lippos, convertite. Nam ſi ſupremus venter, attentionem veſtram requirebat: etiam hic medius PECTUS inquam, & hoc contenta. Ecce quam tumeant hujus viri præcordia: ut rupi jam jam exiſtimes: Quare ſumma hîc arte opus eſt: ne quid à naturali ſtatu ſectoris incuriâ declinâſſe videatur: Opus quoq; veſtrâ eſt, ſpectatores, patientiâ, ne quid meâ tarditate offendamini: Nec enim vulgariter tractandum eſt hoc cadaver: operas appello: ut ſubjectum ſcamnum, quoquo modo editius ſtatuant, quo magis conſpicua fiat diſſectio.

Primum non lateat velim, ſpectatorum celebrem coronam: Unde ille inſuetus præcordiorum tumor exiſtat: Nempe dubio procul, ab ambitioſa, tum VERITATIS, tum PIETATIS profeſſione: iſtæ enim virtutes in corde collocantur.

Veritatem ſui ſcripti omnibus perſuadere vult Bleſkenius, dum ſe non fâma tantum, ſed viſis, & coram auditis venditat. Quis enim huj9 viri, & quidẽ ſacris initaiti, relationem in dubium vocet? C Pieta-

Pietatem verò; mirum quoties ijsdem verbis crepet, præcipuè in utraq; præfatione, DEI OPIFICIS SUMMAM SAPIENTIAM, BONITATEM POTENTIAM intonando: quas hoc scripto suo celebratum iri spondet & jactitat: Nil mirum igitur licet Blefkenio hinc, pectus & præcordia undarum vel collium more intumescant. Quocirca ne sponte rumpantur, nos confectoriis instrumentis subveniemus, VERITATEM PIETATEMque Blefkenianam ex hoc pectore eruentes. Sed cultellus iste, mi puer, nimis est invalidus, ad pectus obfirmatissimum secandum: Nam licet frontem habeat hoc cadaver perfrictissimam h. e. nullam (quam eo usque perfricuit Blefkenius, ut nulla jam amplius superesset, sicut conspexistis ipsi) pectus tamen habet obstinax satis. Xyphomachæram mihi cedo, vel acinacem turcicum, qui ipsum in primis sternon ad rectam lineam diffindat: nisi costas utrinque à pectoris osse liberare secando consultum sit: Sed tunc periculum est, ne hinc VERITAS, illinc PIETAS evolent: quæ unica facta rimâ vel scissurâ, nimis forsan angustum habebunt exitum: eoque tranquillæ manebunt. *Cæterum* ô me inconsultum, qui putem dotes illas Blefkenianas non in ipso corde radices egisse: sed in tunicis exterioribus vel membranis (succingente, & cognatis) tantum insedisse. Omni procul dubio, ipsum cor aggrediendum est: Cernitis enim ut pericardium inflatum distendatur: Quod sanè aliunde non est, quàm à prædictarum virtutum vi & efficaciâ. Quinetiam diaphragma in infimum ventriculum protuberans dependet, & nescio quâ gravitate inconsuetâ, oneri est ventriculo & hepati.

Amplissimas sane oportet esse has Blefkenij virtutes, quarum cor sine coangustatione & pressura, reliquorum viscerum capax non sit.

Cœterum jam satis ad PECTORIS anatomen præfati sumus: manus operi admovenda. Et jam aperto pectore, & dissecto pericardio, ecce coram distentione, ut respiret, seseque pulmo-

mo cum ipso quoque diaphragmate recolligat. Emergit enim priore loco seu erumpit potius, VERITAS Blefkeniana, PIETATEM secum eductura.

Ego quam VERITATEM Blefkenianam appello, mi lector: non VERITATEM sed MENDACIUM intelligo, cujus in hisce suis commentarijs sæpissimè reus fit: id quod sequens caput manifestius ostendet: Nihilominus exemplum unum aut alterum hic apponam. Et primum quidem videtur Blefkenius *(ut est pag. 6.)* ea ferè scripturus, quæ ab aliis, de Islandiâ aliquid commentantibus, sunt omissa: Quum contrarium ego sim ostensurus in sequentibus: eum nempe plæraque & majorem libelli sui partem ex aliorum centonibus compilasse: Si quæ autem ipse addidit, ea plurimum figmentis impudentibus & calumnia scatent. Ut quum (quod secundo loco adducam) nebulonis unius aut alterius turpitudinem, toti genti sive incolis indifferenter omnibus affricat. *Paginis variis.* Quapropter & mendacio tenetur & calumnia: proditque rursus, tum inscitiam tum malitiam, à specie ad genus concludendo: quod & patrem mendacij fecisse constat olim ex Psal. *91.* quod specificè dictum est, de VIIS TUIS, genericè extendendo, sublatâ notâ specificâ. Cujus exemplum mirum quam sæpe Blefkenio arrideat. Tertium hic commemorandum, est de crassissimo errore, in chronologiâ Alebrandi, Episcopi Bremensis commisso pag. *22.* Ubi annorum plusquam 133. lapsus, futilitatem Blefkenij coarguet, infra, cap. *2.*

Quarto, insigne Mendacium est de Valdemaro secundo, Anno 1397. in Dania rerum potiente: cujus demonstratio etiam in caput sequens reservanda est.

Quinto: *pag. eadem.* Christianismo (ut ita dicam) Islandorum annos, pene 400. subfuratur, asserens 1397 primum conversos ad Fidem CHRISTI. Quum Anno 1000. ab omnibus publice & solenniter in religionem & fidem Christianam juratum sit.

Sexto; de origine gentis Islandicæ vanissimus est: *pag. eadem*.

Septimo: impudentissimum est mendacium, quod se dicat in his & similibus, fidem sequi Annalium Islandicorum qui contraria omnia testantur; ut infra. Talis itaq; est Blefkeniana VERITAS: sequitur PIETAS, ejusdem.

Si, ut habet vulgaris versiculus:

Virtutes Pietas in se complectitur omnes:

Rectè hac, quæ Deo & hominibus à quopiam debentur officia complectimur, quę etiam sacri autores, DILECTIONIS vel CARITATIS nomine designant de qua tam magnifice, D. Paulus concionatur, ut huic & Spem & Fidem posthabeat: id quod ipsi quoq; notum speramus Blefkenio. Dilectio autem sive Caritas quum duplex sit: una in Deum; altera, ex hac natâ, in homines, nos Divus Iohannes docuit, Dilectionem erga Deum, Dilectione Proximi vel erga proximum, examinare. Quo etiam documento, contra Blefkenium, hoc loco utemur: Cujus eximiæ charitatis erga Islandos testis & argumentum est, præsens de quo nunc agitur, libellus, opprobrij & quidem ficti & falsi, refertissimus. De quo, quamvis infra sigillatim agemus, tamen id hic commemorare visum est: quod pag. 34. & 35. Blefkenius asseverat, apud Islandos, Virginitatem *nullo esse in pretio: & stupra in nullo dedecore; Virgines enim illorum ut felicius & melius elocentur, Germano cuipiam ante prostituendas esse, id enim honori esse apud nostrates, non puellæ modo: sed eiusdem parentibus & futuro sponso &c.* Quæ calumnia adeo est virulenta, ut eam, calumniatorum coryphæus Satanas nequiverit omni suâ tenebrarum potestate, in cor, pectus aut os Germani cujusdam; Gregorij Peerson hominis licet ex nautica colluvie infimi & circa Annum 1560 rhythmos maledicentissimos, de gente nostrâ edentis; intrudere: At in hujus sacrificuli, SAPIENTIA sc. & PIETATE præstantis; cor, menten & manum eam infarcire, potuerit. Quám vero atrox hæc sit injuria, parte 2. cum textum Blefkenij

kenij excutiemus, ad oculum monſtrabitur. Iterum igitur mortales omnes appello, ſitne hæc exquiſitiſſimi odij, an verò dilectionis nota? Nationem ſc. univerſam, unius aut alterius privato delicto aſpergere? De cuius tamen nationis ullâ injuriâ, Bleſkenius ne verbo conqueri poſſit: immo: cui Hoſpitij jure ad aliam gratiam referendam devinctus ſit. Eveniat itaque Bleſkenio, quod omnibus ingratis & calumniatoribus evenire ſolet; atq; ſimul Divi Johannis cenſurâ & concluſione teneatur: *Nempe qui ſe Deum diligere jactet & proximum odio habeat, mendacem eſſe.* 1. Ioan. 4.

Cæterum dum cordis anatomen peragimus, quoddam oblatratorum genus audire mihi videor: Heus tu, inquiunt, An cardiognoſtem, cordis & cogitationum ſcrutatorem, te facis? Id quod Deus ſibi ſoli reſervavit. Minimè vero, inquam, cor aut cogitationes ſcrutor tacitas & abſconditas: ſed de cogitationibus, per verba & ſcriptum Bleſkenij patefactis, ex earundem cogitationum & cordis naturâ, ita palam factâ quid videatur pronuncio. An vero tu quiſquis es, vetabis quin ſcapham, ſcapham, ligonem, ligonem dicamus? Dixit ne, cœleſtis veritas. *Ex fructibus illorum cognoſcetis eos? Numquid poteſt arbor bona, fructus malos facere? aut mala, bonos?* An ſi tali examine utamur, cordium ſcrutatores habendi ſumus? Dixitne Sapiens ille: *Ex abundantia cordis os loqui?* Licetne igitur ab externis, dictis nempe & factis, de corde & cogitationibus, veram conjecturam facere? Apage te, cum iſtis tam nihili: & anatomen, ſpectatorum favore cœptam ac hactenus continuatam, importunitate tua ne diſtorſeris.

In medio ventriculo, ſeu capacitate thoracis, pulmones adhuc inſpiciendi reſtant; qui cordis velut ſtragulum facti, binis illud utrinq; globis obvallantes & reſpirandi facultate præditi, cordis fervorem, frigidiuſculo halitu temperare debeant. Et verò, cor Bleſkenianum, tali pietate (uti dictum eſt) in Deum & homines flagrantiſſimum, temperamento egebat. Sed quominus ſuo functi ſint officio, in tali ſufficiendo temperamento, pulmones, ſatis jam ex in-

ſpectione conſtat, eorundem intemperiem & affectionem in cauſâ fuiſſe, manifeſtam peripneumoniam, & aſthma prodentem. Relicto autem jam ventriculo medio, ad infimum tranſeamus.

PARTIS I. MEMBRUM III. de Ventriculo.

Quamvis infima partium vitalium regio, non ſolum ventriculum: ſed jecur, lienem, renes, & reliqua inteſtina contineat: ego hic ſaltem ventriculum, ad anatomen ſuperiorum adjungere conſtitui, ut & ſuperius dictum eſt. Verùm enimverò nihilo eſt hic confectio facilior, quàm in ſuperioribus: ut mirum ſit, quomodo omnes cadaveris hujus partes occalluerint.

Porrò diſſecto tandem difficulter ventriculo, quem Natura concoctionis primam eſſe officinam voluit, nihil præter meram Cruditatem invenio, omnium viſcerum exquiſitam cachexiam gignentem: ut jam cerebri dyſcraſiam & cordis, minus mirere? quibus ut reliquis, ventriculus, venarum, arteriarum & nervorum inter ventu jungitur. Certe exquiſitam concoctionis debilitatem ſatis arguit, quod quæ Bleſkenio præmanſa & maſticata in os & æſophagum autores alij ingeſſerant, ille nihilominus cruda & incocta, hoc ſuo ſcripto excreverit. De quo, ut reliquis, caput ſecundo teſtabitur: Nam prius inſpicienda ſingula penitius.

Et primum quidem animadvertimus ventriculi os, in quod œſophagus deſinit: quodque naturalis appetentiæ facultatem habere ſolet, M*ALACIA* laborare: Quam definiunt medici vitioſi alienique cibi appetentiam: ut terræ, carnis crudæ, carbonum, fructuum acidorum &c. cujus mali tanta vis eſt & efficacia (ait Fernel:) *ut vir quidam nobilis, edendæ calcis vivæ deſiderio, jam diu preſſus, eam tandem* pugni magnitudine voraverit.

Ita ſanè noſtro evenerat Bleſkenio, idque affectione, etiam prægan-

gantibus communi (nec sine omine) quum videlicet male sanâ conceptione & fœtu, venter ipsi imprægnatus intumesceret. Ex autoribus enim (quamvis ille hoc falso neget, sicut pauló antè monui, & infrà demonstrabitur) ut quisque incompertum, vanum, fictum scripserat, is, ut commentarios de Islandia compingeret, omnia sine delectu devoravit. Præcipuè vero; ut apparet, Olaum Gotum & Rhythmistam illum Germanicum Gregorium Peerson, eximios videlicet historicos; sibi familiares habuerat: ad quorum penarium, sæpius famelicus recurrit, ut suæ malaciæ satis faciat. His adde quæ ipse visa sibi & comperta affirmat, spurcissima quæque, corrasa & congesta, suum more, cœnum lilijs præferentium, ut ipsius hæc farrago, quatuor plus minus chartarum (ut vocant) indiga, quam Descriptionem Islandiæ vocat, tandem concresceret.

Ut vero malacia: sic sitim moderata nos ventriculi malè habuisse comperimus: quam ipse aliquoties suo prodit & profitetur scripto Blefkenius; *pag. 20.* & alibi. Corpus enim ipsius tantis discursitationibus (quantas ibidem, obiter enumerat) exhaustum dissolutumque est, tum quoq; assiduo commentandi fervore, veluti balneis attenuatum: Ad quam extinguendam sitim, si ut Islandorum, ita aliarum nationum mores & statuta Blefkenius imbibit: nihil mirum si ex tali ingurgitatione nimiâ sc. & impurâ, ipse ventriculus malè habeat, & complexio tandem ad hydropen vergat. Sed relicto Orificio: ipse expendatur ventriculus, quem summâ laborare cruditate diximus: Cujus ut causam in Orificij sectione jam posuimus; malaciam & sitim inordinatam, ita signa & symptomata hæc, in ipso demonstrantur ventriculo: sive ea Cruditatis signa, sive ejusdem sobolem dicere malis.

Hæ sunt Empneumatosis & Vomitio. Empneumatosis, pulcherrimo etymo, omnem flatulentam distensionem notat: sive flatus sursum erumpat, ut in ructu & singultu: sive intus cum strepitu rugituq; contineatur, sive absq; his inflatio distentioq; fiat. Vomitio notæ est significationis.

Aſt verò Cruditas ventriculi, non tantum ab iſtis cauſatur, quę Orificium ejusdem infeſtare diximus: Sed etiam à reliquorum viſcerum, ventriculo magnâ Sympathiâ devinctorum, intemperie ut hepatis, lienis, meſenterij. De quibus nihil jam diſputamus. Interim hepate leviter obſervato: videtis folliculum bilis ſatis repletum; Unde hepatis calida intemperies eſt, Bilis, copiam gignens: atq; ideo fortaſſis à *ventriculi cruditate non immunis*: Hepaticus igitur etiam eſt Bleſkenius ille Iſlandiæ hiſtoricus. Nunc ad Cruditatis applicationem, Ubi conſideratis conſiderandis, ſit a poſteriore non fallax judicium & Criſis morbi: nam quam Bleſkenius cramben, iterum & tertio malè coctam, atq; ab autoribus alijs ſibi porrectam (ut ſupra) ſamelicus devoravit: Cum illam eandem adhuc crudam & peſſimo auctario, ventriculum obruente, in gentem Iſlandorum evomat: non dubium eſt, quin moleſtiſſima ſimul empneumatoſi ventriculus gravatus ſit: Cumq; etiam, quæ ſe ipſum auditu & viſu in Iſlandia imbibiſſe teſtatur, non aliter quam rancida & affectata cum calumniâ eructet, quis hoc ſani ventriculi ſignum dixerit? Quis de rugitu & ſtrepitu ventriculi, hanc eſcam annis plus quam 40. digerere, fruſtra conantis, dubitare queat? quisve de ſingultibus, ex tam malâ chyloſi & invalidâ concoctione, continuè erumpentibus? in congreſſibus, conſeſſibus, commeſſationibus? Profectò: quem ſcribere hæc non puduit: ea frequenti in Ore & Sermone habere non puduerat. Utrum vero (ut cruditatis cauſas perfunctoriè repetam) hæc eſculenta & potulenta, omnia æque ſuapte naturâ mala deglutiverit Bleſkenius: An bonis perverſe & præpoſtere, utendo, concoctio inhibita ſit, An aliunde vitium ventriculus contraxerit, id capite ſequenti, ſpecialibus notis, diſpiciendum venit. Sicq; anatomen vel ſectionem abſolvimus capitis ſtupidiſſimi, pectoris obſtinatiſſimi, ventriculi contumaciſſimi: quam primi capitis materiam fore promiſimus.

ANATOMES BLEFKENIANÆ.

Pars secunda.

SEcundum caput vel membrum hujus Tractatus, fore ſuperioris quoddam veluti Parergon, initio dixeram: Scripti enim Blefkeniani analyſin & notas quasdam continet, quibus membri ſuperioris Theoremata aſtruuntur. 1. Et primo quidem, utraque præfatio Blefkenij, obiter inſpicienda venit. 2 Deinde capita Deſcriptionis Iſlandiæ, ſeptem, Ordine examinantur. 3. Tertiò, Appendix de Gronlandia: quæq; illic heterogenea miſcentur, ad trutinam appenduntur veritatis.

PARTIS SECUNDÆ MEMBRUM I. Dedicatoria Blefk.

VNiverſa hæc rerum Natura mirandum theatrum eſt, in quo Deus ſe conſpici, & expreſſa teſtimonia ſuæ præſentiæ, ſapientiæ & bonitatis conſiderari voluit. Ideo tantam varietatem artis in conſtructione, collocatione, & viribus immenſæ ſapientiæ adhibuit, ut fateri homines cogerentur hoc, pulcerrimum opificium non caſu conflatum eſſe, firmiſſimo adſenſu ſtatuerent huic menti architectatrici oportere homines ſubditos eſſe, & mores noſtros congruere oportere ad illam æternam normam, quæ in ipſo conditore, qui lucis ſuæ radios in nos tranfudit, & ipſum conditorem veris laudibus celebrandum eſſe, Propter hanc tantam cauſam, naturæ conſiderationem, neceſſariam eſſe manifeſtum eſt. &c.

Adeo magnificum habet hæc Dedicatoria & ſplendidum exordium, ac ſi univerſalem quandam Phyſicam & rerum omnium

visibilium Cœli & Terræ ambitu comprehensarum historiam, novo & singulari artificio traditurus sit noster hic Theologus: Ubi vero ad rem ventum est, ibi tota ipsius magnificentia & splendor desinunt in la mi, vel in bus correptum, ut pueri in Scholis particularibus balbutiunt. Talis enim phrasiologia, tali magnificentiæ Blefkenianæ competere videtur: quæ uno aut altero Islandiæ miraculo, eoque non proprio, ac interim magnâ ex parte ficto & fabuloso; atq; à scriptoribus aliis toties repetito, absolvitur. Nam cum 7. faciat libelli sui capita, duo tantum de mirabilibus Islandiæ inscripsit: Nempe 4. de stagnis ac fontibus: Octernionis, ut vocant, paginis duabus vix in integris constans: & quintum, de montibus mirabilibus: quod quinq; Octernionis paginis & dimidia continetur. Capite tamen 6. quod est de Islandorum divitijs, monstra quædam marina commemorat, eâdem spero arte, qua terrestria. Reliqua capita, ut & apendix de Gronlandia, alió spectant (prout ibidem dicetur) quàm ut mirandum naturæ opificium aut opificis, Sapientiam, Bonitatem, Potentiam illustrent: quod tamen in utraq; præfatiunculâ sæpius prætenditur. *Text. (Ut fateri homines cogerentur, non casu conflatam. pag. 3.)* Contemplationis Naturæ duplex potest constitui finis: *Unus universalis, cum invisibilia Dei, ex visibilibus cognoscuntur*: de quo Apostolus Paulus ac sancti alij David, Job & ipse Christus. Alius est finis subordinatus; sub quo comprehendimus tum physicum; tum historicum: quum etiam possint plures sub ordinati statui. Physicus finis, ut quum rationem investigas, cur, quum aqua habeatur naturaliter frigida; hic tamen fons quam ille magis caleat vel algeat? Cur etiam quum terra putetur elementum frigidum, ille mons ardeat & flammas eructet, non item iste? Historicus finis est; quo ex gentium populorumq; descriptione, Historia vitæ magistra appellatur. Propter subordinatos itaq; fines, particulares gentium & terrarum descriptiones eduntur. Primarium vero dum quærimus, nihil necesse est, ad hujus vel illius terræ miracula, & quidem dubia vel ficta

con-

confugere, aut geographima aliquot locorum pversam, ut Blefkenium fecisse constabit, instituere, Hinc luce clarius evadit meridianâ, Blefkenium, dum illum primarium finem mirabilibus & monstris Islandiæ à se scriptis prætendit, aliud latenter agere, quod tamen hujus finis allegatione palliare nititur. Nempe homo levis & novitatis avidus, ridicula quædam scripturus, ut de acervis butyri non saliti, morticinijs in dapes conversis, de morum rusticitate & alijs quibusdam agrestioribus; quæ uspiam inter vulgi sordes conquisiverat, necesse habuit tale opus, titulo & præfatione aliquid præclarius ostentante, fucare.

An verò Blefkeni, ex contemplatione tui orbis, opificis Sapientiam Bonitatem Potentiam ratiocinari nequiveras, nisi tua illa Islandiæ monstra & mirabilia accederent? An etiam ipsa conceptione & formatione hominis in utero materno, miraculum Naturæ aliquod, majus excogitare & ostendere poteris? An demum, quia stupenda illa rerum omnium, quæ omnibus & ubivis patent, conditio & conservatio, ipso usu & frequentia sui, tibi aut alijs forte vilescit, minus idcirco habebit momenti, ad conditoris & conservatoris Sap. Bonit. Potentiam suspiciendam & extollendam: quam scilicet fons ille aut mons tibi antea nunquam visus & alteri us forsan efficaciæ, quam fons iste tuus domesticus aut mons vicinus? Quin tu ò bone & religiose vir. Davidem adi & audi: ab eoq; disce. *Invisibilia Dei ex visibilibus, cognoscendi & adminandi viam & methodum.*

PSALM CIV.

Benedic anima mea Domino (inquit vir Dei; qui cum volupe erit, hunc Naturæ hymnum repetere; & quidem verbotenus fere) Domine Deus meus, magnificatus es vehementer. Gloriam & decorem induisti; amictus lumine sicut vestimento; extendens cælum sicut pellem. Qui contignat in aquis tabernacula sua & ponit nubes vehiculum suum; & ambulat super pennas venti. Qui facit ange-

los suos spiritus: & ministros suos ignem flammantem. Qui fundavit terram super stabilitatem suam; non inclinabitur in seculum seculi. Abysso sicut vestimento operuisti eam, super montes stabunt aquæ. Ab increpatione tua fugient; à voce tonitrui formidabunt: Ascendunt montes, descendunt valles in locum quem fundasti eis. Terminum posuisti eis, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram. Qui emittis scaturigines in fluvios inter montes pertransibunt aquæ. Potabunt omnes bestiæ agri; sedabunt onagri sitim suam. Super eas volucres cæli habitabunt; de medio frondium dabunt vocem:

Rigas montis de superioribus suis, de fructu operum tuorum saturabitur terra. Producens fœnum jumentis, & herbam servituti hominum; ut educas panem de terra; vinum lætificet cor hominis: & exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis roboret. Reficiuntur arbores Domini & Cedri Libani quas plantavit: illic aves nidificabunt. Ciconiæ, abietes sunt pro domo; montes excelsi Ibicibus; rupes refugium Erinaceis. Fecit Lunam in stata tempora, Sol novit occasum suum.

Posuisti tenebras & facta est nox; in ipsa reptabunt omnes bestiæ Sylvæ.

Catuli Leonem rugientes, ut rapiant & quærant à Domino escam sibi.

Ortus est sol, & recolliguntur, & in speluncis suis cubant. Exibit homo ad opus suum, & operationem suam, usq; ad vesperam. Quam MAGNIFICA sunt opera tua Domine, omnia in SAPIENTIA fecisti; repleta est terra BONIS tuis. Hoc mare magnum & spaciosum manibus, illic reptilia, quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis. Illic naves pertransibunt: & Cete quæ formasti ut ludant in eo. Omnia à te expectant ut des illis escam in tempore suo. Dante te illis colligunt: aperiente te manum tuam, omnia replebuntur bonitate: avertente autem faciem, turbabuntur. Auferes spiritum eorum & deficient, & in pulverem suum revertentur. Emittes spiritum tuum & creabuntur: & renovabis faciem terræ. Sit gloria Do-

mini in seculum: lætabitur Dominus in operibus suis. Qui Respicit terram,& facit eam tremere; qui tangit montes & fumigabunt &c. Benedic anima mea Domino, Haleluja. Huc Psalm: 33.

Hæc est,ut vides Blefkeni,contemplatio megacosmi Davidica,unde in divinas laudes totus effunditur, seq; propter conditoris & Conservatoris Potentiam, Sapientiam, Bonitatem ordine commemoratas,& præcipue versu 24. repetitas (*Quam magnifica*) solatur & sustentat.

Jam hæc extra nos sunt: ideoq; David aliàs à contemplatione microcosmi h. e. sui ipsius validiorem in summis angoribus consolationem petit.

Confitebor tibi (inquit Psal. CXXXIX) quia MIRABILITER formatus sum,& MIRABILIA opera tua, & anima mea cognoscit valde. Non est occultatum os meum à te,cum factus sum in occulto, & formatus sum in inferioribus terræ. Informem massam meam viderunt oculi tui,& in libro tuo omnia scripta erant,quæ per dies formata sunt,quum adhuc nullum eorum esset.

Et præcipue Psalm 22. ubi dolores inferni ab unâ parte animam impetebant.

Tu es qui extraxisti me de utero,spes mea ab uberibus matris meæ. In te projectus sum ab utero: De ventre matris meæ, Deus meus es tu.

Tum deniq; Psal. 94. à consideratione microcosmi: ut impios terret,Deum surdum aut cœcum statuentes: sic pios solari& animare satagit,quorum interest,ut miserias ipsorum Deus videat, & preces exaudiat. *An qui plantavit aurem non audiet? Qui finxit oculum,non videbit? &c.*

Nunc ego Dithmare fidem tuam appello: utrum hinc plenior ac perfectior cognitio Dei seu Sapientiæ,Bonitatis & Potentiæ Divinæ, ac proinde prestantior adversus desperationis pestem antidotus hauriatur: An vero ex monstrorum & mirabilium tuorum illa commemoratione?

Ut autem David ad Opificem Naturæ celebrandum, universalem creatorum commemorationem assumit: Sic etiam beatus Jobus, facit in prolixo illo dialogo, quo apud ipsum de cognitione Dei disputatur. Res Naturales omnium oculis subjectas & expositas atq; notas proponens: ut cœlum cœliq; revolutiones, astra, terram, mare, lucem, ventos (qui si non videantur, sentiuntur manifestius) pluviam, tonitrua, fulmina, nivem, glaciem: Item: animantia, leones, capreas, cervos, equos, &c. Dubia autem & rariora vel abstrusiora Naturæ miracula, maximè vero ficta & fabulosa, omittenda sibi putavit: quum de Sapientia, Bonitate, Potentia Dei, generaliter docere vellet.

Sed quid ipse Christus? anne nos ad volatilia cœli & lilia agri ac fœnum remittit? An vero Christum: Dithmare, existimemus, Ethnæ, Vesuvij aut Heclæ flammas & incendia, fontesve & thermas Italiæ aut Islandiæ ignorasse? Cæterum alterum jam finem scripti tui videamus.

Deinde & utilitate nostra movemur, quærenda enim sunt vitæ præsidia in hac tantâ varietate rerum)

Alter finis cur hanc mirabilium Islandiæ Theoriam, Blefkenius instituerit: est, ut quærantur in montibus ignitis fontibus & stagnis pestilentibus vitæ præsidia: quæ quum ego non videam, ipse recenseat. Ast in alijs: quæ vitæ aliquod subsidium præstant, & ille interim, mirabilium nomine complexus non est: quæq; terris cæteris nobiscum communia sunt: ut piscatura, pecora &c. Nescio quomodo scriptorem hunc ad suum opus edendum impellere potuerint magis vel potius de Islandiâ, quam vel Norwegiâ, Fœrogiâ, Hiatlandiâ: aut alijs. Eja: agite, ô scriptores: hujusmodi, & tam non impertinentes fines operibus vestris assignate: & applausum habebunt. Refer ad sapientiam Blef.

Cùm ego verò ante 11. annos multa in Islandia naturæ miracula, stupenda, ac omni admiratione digna viderim, quæ quidem ab Historicis, qui Islandiæ meminerunt, ut sunt, Saxo Grammaticus, Olaus Ma-

gus

gnus, Crancius & Munsterus, sunt omissa, eò quod illi Islandiam non viderunt, hæcq; nobis incognita: tamen cogitans de iisdem rebus, quæ ad laudem, & admirationem sapientiæ, & immensæ potentiæ gratiarumq; actionem invitant, de consilio bonorum virorum, qui invisibilia Dei ex creaturis per opera ipsius intelligunt, ipsamq; æternam eius potentiam ac divinitatem conspiciunt, ut Apostolus ait, statui hoc scriptum, in quo multa Dei mirabilia opera continentur, in lucem emittere.

Quæ vidit Blefkenius, non dubium est quin scripserit: si verò nihil scripsit quoad miracula ab autoribus illis omissum, suamque stupendorum farraginem, ex illis totam habeat; apparebit ex collatione vel mox initio, Veritatis Blefknianæ speciem aliquod.

Hoc scriptum in quo multa Dei mirabilia continentur, in lucem emittere statui.) Quam multa sint docebit contextus. An vero quæ causas habent physicas, & satis manifestas, in mirabilium (quomodo Blefkenius cap. 4. 5. & 6. vocem accipit) numerum veniant, viderint alij. Certe raritas, mirabilium nomen, hoc significatu peperit, quemadmodum ingnoratio causarum, Fortunæ nomen & numen confinxit. Quod si Dithmarus mecum; immo cum Sacris literis, mirabilium vocem usurpasset, tum certè fateor: Omnia Opera Dei esse mirabilia: Mirabilis enim Dominus Deus noster in cœlo & in terra: & ipse facit Mirabilia magna solus: & David se mirabiliter formatum agnoscit: ideoq; Mirabilis Deus in omnibus operibus suis: & cætera, quæ Dithmarus non ignorat.

PRÆFATIO BLEFKENIANA ad Lectorem.

Cum jam anni plusquam 40 sint, Lector, quòd ex Islandia rediij, mirari possis, quare nunc demum hosce commentariolos in lucem prodire sinam: causam igitur tam diuturni silentij indicabo. Ex Islandia renavigavi Lissabonam.)

Anno Christi 1563. ait Blefkenius se in Islandiam venisse, pag.

pag. 19. ait indidem in Hispaniam navigasse, Anno 1565. pag. 69. Tum quinquennium fere peregrinatum esse: Surgit annus 1570. Deinde vocatum ad aulam Scovenburgicam hoc anno, pag. 11. Et cum Comite Ottone, Viennam Austriæ profectum. Postea Bonnam ablegatum 1582. Inter vocationem ergo Scovenburgicam & Legationem Bonnensem, 12. Anni lapsi sunt: quibus negat sibi propter profectiones aulicas, otium fuisse, concinnandi eximios de Islandia cõmentarios. In legatione Bonnensi in latrones incidit, qui ipsum 23. vulneribus confectum, & pro mortuo (ut is loquitur) relictum, commentarijs de Islandia, spoliabant. Cæterùm convaluit à tot vulneribus Blefkenius: & commentarij de Islandia fato restituuntur. Anno 1588. Hancq; reddit 25 annorum silentij causam. Tot enim à primo in Islandiam accessu, quum opus hoc elaborare cœperat, anni numerantur ad restitutos commentarios. Restat igitur inde ad editum librum, Anno, 1607. annorum 19. silentium: cujus causam nullam indicat. Nota lector, Dithmarum tam cito fidei præstandæ oblitum: cùm paulò ante totius, vel plus quam 40 annorum silentij causam indicaturum dixisset. Cæterum, ô hominem negotiosum: ô laboriosam Blefkenij vitam, non potuisse totis annis 12. qui inter vocationem intercesserunt Scovenburgicam: & legationem (si Dijs placet) Bonnensem, si non alias, hanc narratiunculã, chartis, seu ut loquuntur, octernionibus vix 4. contentam, in ordinem redigere: qui tamen etiamnum vix est usquequaque concinnus: ut eruditionis ipsius, veniã hoc proloqui audeam. Immo ut jam 12 istos annos autori remittamus: non potuisse inquam annis totis 19. sequentibus idem præstare: Ab Anno nempe 1588. quo restituti ipsi sunt Commentarij, ad annum 1607. quo editi sunt. Quia igitur in assignanda silentij causa autor claudus vacillat, ego aliam fortè veriorem constanter afferam: quum enim plura hic liber contineat, ob quæ recenti memoriâ editus, omnes sibi obloquentes habuisset: quæq; ex recentibus illorum annorum actis refelli manifestè potuissent: editionem ultra annum 40. ho-

mo

mo callidus distulit; quo obliteratâ temporis diuturnitate gestorum memoriâ, nullum præstaret Blefkenij oblocutoribus argumentum. Sed faciam, istâ spe omnio frustretur: atq; narrationem ipsius, totiusq; operis fundamentum, non solum meâ privatâ assertione, sed partim ex actis publicis: partim vivorum adhuc præstantissimorum hominum suffragijs evertam. Sed videtur adhuc alia causa 40. annorum silentio subesse; expectârat enim interea temporis, alia atq; alia nova ex Islandia, quibus commentarios suppleret suos: quæ ubi non suppetere viderat, coactus fuerat ex scriptorum variorum farragine hos consuere centones, quamvis, ut supra monitum est, id minimè facturus videbatur. Tertiò etiam verisimile est Blefkenium tanto temporis intervallo interdum resipuisse, atq; ab editione harum futilitatum, ut mitissimè appellem, pudore & consilio, vel alieno eorum, qui ipsi benè cupierant, absterritum esse: in qua si permansisset sententiâ, melius famæ propriæ consuluisset. Cæterum quâ causa pudorem tam necessarium & profuturum exuerit: annos demum 60. egressus, Sapientiæq; & Prudentiæ viam & ætatem ingressus, conjicere nolo.

Renavigavi Lissabonam.)

In fine capitis 4. memorat Blefkenius lacum pestiferum, qui halitu aves supervolantes interficiat: qui quamvis incolis omnibus ignotus sit, tamen ab effectis in Blefkenij cerebrum dum hic fuerit, agentibus, parum abest, quin id mihi ita esse persuaderi sinam. Videtur enim hujus lacus halitu ita affectus autor, ut undenam in Islandiam venerit, oblitus sit. R*enavigasse* ait se Lyssabonam: quod mihi argumento esse possit, cum prius Lyssabona in Islandiam navigasse, quum tamen pag. 19. Hamburgo advenisse dicat. Sed condonabitur Dithmaro hoc adverbium: seu mavult, præpositio: ne nimis morosè cum viro erga nos tam humano agamus: quanquam quid præter morositatem à suis barbaris, quomodo nos sæpius blandule vocitat, expectare habet?

Cogitabam tamen Poëtæ dictum, qui scribit.

Turpe puto juveni qui semper inhæret iisdem
Terrarum Spatijs, ut lapis, atq; locis.
At varios hominum mores qui vidit & urbes,
Moribus ornatis in patriam ille venit.

Igitur per urbem Tunetum, regnumq; Tunetanum, & regnum Maroco, ad urbem Tingit, sumus profecti.

Quam vellem Dithmarus Blefkenius Autorem horum versuum nobis exposuisset: sapiunt enim venam Blefkenianam. Quia vero Dithmare in hoc tuo libro, Islandi sæpiuscule barbari audiunt, libet subtilitatem tuam paulisper adire, & veram abs te peregrinandi rationem perquirere. Non dubitamus enim quin sat magna polleas docendi facultate, præcipue mores subtiles & civiles: sic namq; argumentaris.

Qui varios hominum mores vidit & urbes:
Moribus ornatis in patriam illi venit.

At ego Dn. Dithmarus Blefkenius, non tantum in Germania tritus: verum etiam in Hispania, Affrica, Numidia: item in Regno Maroco, Regnoq; Tunetano &c. Quinquennium circiter, pag. 11. versatus, varios hominum mores vidi & urbes: Atq; ad hæc ferè à teneris ministerio Divino assuetus.

Ergo ego Dominus Dithmarus Blefkenius moribus ornatis & egregiis in Patriam veniens, eandem exorno.

Cæterum Domine Dithmare, si per subtilitatem tuam liceat, barbari tui, consequentiam negare audent, propter insufficientem causam ad ornandos mores allatam: si propositionem vniversaliter intelligi velis. Non enim omnis multum peregrinatus, moribus ornatior evadit, cujus experientia communis pro me testis esto. Quod si particulariter accipias propositionem (ut & particulariter tantum vera esse potest) A particulari, ad particulare, barbarorum more concluseris: Immo: Blefkeniano more. Ita enim tu in tota hac narratione, & quod deterius est, à particulari ad universale nectis & colligis. Quid igitur? An Blefkenius nobiscum Barbarus?

Absit vero, Nemo enim audebit dicere Papæ. *Quare tu facis sic?* alioqui solatium esset, in barbarie habere socium. Refer ad *SAPIENTIAM* Blefkenianam, supra expositam.

Porro demerebor te Dn. Magister sive Doctor es, brevi colloquio, de peregrinatione instituto: De qua scire te putamus, in vtramq; partem jam olim fuisse disputatum: multumne conduceret, an contrà obesset plurimum? Ast tu priorem hujus Problematis partem, ut confessam accipis & Lectori indeterminatam obtrudis, satis cum inverecundiâ. Quod si quæ in utranq; partem afferri solent, memoriâ, lacu pestilente, (quem nostri) infectâ, tibi exciderunt, En: ex barbaris tuis unus officij gratiâ tibi suggeret. Primò enim Italiam sive Græciam spectes, in utrâq; inventis viros magni nominis peregrinationis hostes. Ælianus namq; Prænestinus, vir Maximo numero habitus, extra Italiam nusquam pedem tulisse memoratur: Ut & Pomponius Lætus Romæ perpetuò hæsisse: ac secus facientes, improbâsse. Ciceronis quoque Pater Italos quosdam ex Græciâ cum literis nequitiam importare in Patriam dicebat. Neq; illud Flacci ignotum.

Strenua nos excercet inertia: Navibus atq;
Quadrigis petimus bene vivere: Quod petis hic est.
Est Ulubris, animus si te non deficit æquus.
Cælum, non animum mutant, qui transmare currunt.

In quâ sententiâ fuisse magnum illum Socratem tradunt. Nonne & apud Lacedæmonios, censente Lycurgo, peregrinari, præcipuè inter Asiaticos, nefas erat? Nonne etiam Athenienses suos cives â navigatione, tanquam improbitatis magistrâ, penitus abstrahere operam dabant? Hæc & similia Blefkeni, contra propositionem afferri poterant. Quæ ut universalia non sint (concedam enim illud) id tamen valent ut istam non universalem reddant, Iam vero contrà: ut quæ pro te faciant (particulariter tamen) candidè reminiscar: Aristoteles Oratorem futurum jubet peregrinari: tum fortasse linguarum addiscendarum gratiâ (quibus Ennius quum tribus instructus sibi videretur,

tria se corda habere dixit; Tu quoq; Blefkeni tanto plura, quanto quam ille plures linguas peregrinando lucratus fueris) tum verò doctrinæ & sapientiæ adipiscendæ ergo. Quin etiam Menander cecinit: Erraticam vitam sapientiores reddere. Iam si exemplis certandum erit: multa quidem pro tuâ sententiâ militant: multò plura pro contrariâ: de quo experientia omnium temporum consulenda est. Determinatè igitur utrumq; verum esse potest. Nempe: *Peregrinationem cum ratione & judicio, non susceptam solùm sed continuatam, expedire & mores exornare.* (Ubi in animo, ratione, judicio & indole ipsâ cujusvis propinquior causa statuitur morum ornandorum, quam in ipsâ peregrinatione.) *Absq; his plurimum obesse:* quod ex Socrate vocant: peregrinari extra se. Jam verò ad sanum in peregrinando animum Platonis lex spectare videtur: *Civibus suis quinquagenariys demum peregrinandi potestatem facientis*: Quo ætatis præscripto judicium demum, peregrinationi maturum, intellexisse censetur: â qua tamen lege, quicunq; pro ætate vel judicio, Magistrum aut fidum & consultum Achatem, peregrinationi suæ adhibent, immunes esse convenit. Platoni deniq; partibus litigantibus sese ita interponenti, succinit nostra hac tempestate sententiosissimus & sapientissimus: quodam loco Lipsius.

Itaq;, ait, sive prisco sive nostro ævo peregrinati sunt viri magni; sed ista hìc cautio est, ut id fiat, non cum voluptate tantum: sed cum fructu.

Vagari, discurrere, lustrare, quivis potest; pauci indagare, discere. hoc est verè peregrinari. Proinde Blefkeni, tuo poëtæ, alium magis circumspectum opponere visum est. Tuus enim ille sua indefinitâ gnome in eum te induxit errorem: ut solum illud, Varios hominum mores videre & urbes, seu nudam peregrinationem, putaveris ad virtutem & morum elegantiam sufficere. Hunc igitur nostrum unà cum Doctissimo Lipsio audias.

Scire hominum mores, satis est: contraq; vagari
Turpe diu, vacuum deinde redire domum.

Cælum non animum mutat sic mobilis hospes,
Indocilis rerum semper, & arte rudis:
Multas per gentes & multa per æquora vectus
STELLIO, semper iners est similisq; sui.

His itaq; Dihtmare utrinq; positis, tua ad hanc amussim exigenda est peregrinatio: tuiq; mores, tua inquam dicta & facta, hoc opusculo tuo nobis patefacta, ante expendenda nobis sunt, quam conclusionem, de ornatioribus moribus in te competere largiamur. Quid? inquies: Nonne aulicam quoq; vitam, ubi summa virtute & prudentiâ opus est, ego pernovi? Nec solum comiti Ottoni à latere fui, sed & Cæsaris aulam salutavi, & Archiepiscopi Coloniensis familiaritatem inivi: Legationem (nescio qualem) Bonnensem obivi? Ecquis de mea virtute, meis moribus, sinistri aliquid suspicetur? Quam firmiter hinc pro virtutum tuarum cumulo concludas, non dicam: nam licet vita aulica omnis esset virtutis officina, ego tibi nihilominus de tuâ conversatione ibidem vetus illud occinerem;

Quam mala sunt permixta bonis, errore sub illo
Pro vicio virtus nomina sæpe tulit.

Opus artificem Blefkenium laudabit: ubi institutam tuæ Islandiæ analysin pertexuero. Nam si gentium & populorum mores probos & instituta laudata silentio præterire; pessima autem quæq; apud unum vel alterum deprehensa, notare; vel non deprehensa, confingere, ac universæ genti affircare & exprobarare; idque scripto publico & Patrocinio potentissimæ cujuspiam Reip. ad hoc invocato, hoc inquam, si animi ingenui & proci ingenij mores arguit: tum demum Blefkenius mente & moribus præstans habebitur. Hanc enim connexivam, mi Blefkeni, reliquo tractatu ventilabimus: Tu tantum moram patienter ferre & animum ad singula, diligentius quam ad mores & instituta Islandorum, advertere, ne graveris.

Jam

Jam verò de consilio bonorum virorum Typographo, divulgandi gratiâ excudendum dedi. pag. 13:)

Nunquam nobis persuaseris Dithmare, viros bonos in editionem famosi tui libelli consensisse; sed forsan tui similes & talibus scriptis gaudentes: ac putidas loidorias amantes. Refer ad veritatem Blefkenianam.

Etsi vero meæ mihi tenuitatis sum conscius, qui tam eleganti sermone, quam multi delicatuli cupiunt non sum usus, spero tamen & bonos & doctos facilè mihi hac in re veniam daturos, quippe qui non tam elegantiæ, quam veritati in hoc scripto studuerim. pag. 14.)

Camelum deglutisti Blefkeni, & nunc culicem excolas, de eloquentiâ, deq; verbis sollicitus: de rebus nihil. Miserum autem veritatis studium, in mera & affectata mendacia desinens.

Nam nihil, aut certé parum, ex auditu, sed quæ vidi & expertus sum scribo, &c.)

Capite hoc, ô notarij, inque protocollum fideliter referte: ne quo pacto excidat: Opus enim illo erit, in singulis examinandis capitibus. Ad veritatem Blefk. refer.

DE DVOBVS EPIGRAMMATOGRAPHIS Næniæ Blefkenianæ accinentibus.

QUum persuasum mihi habeam, Epigrammatographos istos duos sat numerosos, sordidum Blefkenij libellum laudibus Ironicis efferre: nihil mihi patiar contra illorum existimationem gravius excidere, quin potius etiam hic Blef. stupiditatem notare visum est: qui sibi in os illudentes non agnoverit: sed ut olim corvus vulpem, tum pennarum splendorem, tum vocis suavitatem admirantem & landantem, exceperit. Nam quo jure corvo pennarum splendidus color, & vocis suavitas: eodem Blefkenio eruditionis & sapientiæ laus tribuitur. Quod si conjectura hæc errat: tempestivè Blefkenij familiaritati, se subducant moneo: ne de æstima-

æstimatione propriâ apud bonos & cordatos omnes periclitentur: putentq; aliquid ſubeſſe veteri verbo ponderis.

Noſcitur ex ſocio, qui non dignoſcitur ex ſe.

Sed jam tempeſtivum eſt, ut ad ipſius Hiſtoriæ Bleſkenianæ examen nos conferamus.

PARTIS II. MEMBRUM II. NEMPE *Analyſis ſeu examen ipſius Hiſtoriæ ſive deſcriptionis Islandiæ, Bleſkenij.*

DESCRIPTIONIS ISLANDIÆ BLEFK. *Cap. I. quod inſcribitur; Quando primum cognita ſit Islandia;*

Anno ſexageſimo tertio ſupra milleſimum quingenteſimum, binæ Hamburgo naves onerariæ in Islandiam navigare decreverant.

Vectores, antiquâ conſuetudine verbi Divini miniſtrum ſibi adjungere volentes, Eccleſiæ Hamburgenſis miniſtris munus hoc committunt, orantq; ut illis de miniſtro deſpicere velint. Erat tunc Eccleſiæ Hamburgenſis ſuperintendes Doctor Paulus ab Eitzen. Cum vero egò Hamburgi, Supellectilem librariam Roſtochio expectans, ſubſtitiſſem, familiaritatem cum Paulo & cæteris Eccleſiarum miniſtris contraxi: Ad me igitur delata eſt provincia, quā eo libentius, quod ſitiens eram res novas & varias regiones cognoſcendi, & illorum hortationibus parens, ſuſcepi. Conſcenſa igitur navi 10. Aprilis ſubnavigavimus Angliam & Scotiam, præterlegentes Orcades inſulas numero 15. quarum plæraq; incultæ propter ſterilitatem jacent. Ferovve & Hitlandia ſolæ inhabitantur. Hic altiſſimam rupem vidimus, quæ in ſummitate cucullati monachi caput repræſentat, vbi etiam contra omnes ventos tutus eſt receptus, multosq; hic monachus ex præſenti liberat periculo. Junij verò 14. Islandiam conſpeximus, quæ â longè apparet, ut ſi nubes hiberno tempore eſſent. Poſtero die portum Haff-

portum Haffnefort, qui Meridiem spectat, terramquè attigimus.

Priusquam textus Blefkeniani Scholia incipiant: de duobus libellis, diverso tempore à me evulgatis Lectorem commonefacere visum est. Nam quum circa Annum 1593. Rhythmi Germanici oblati essent autore Gregorio quodam Peerse, nauta: maledictis & contemptu nominis Islandici, undiq; refertissimi: occasionem arripui libellum apologeticum pro patria scribendi, non solum contra loidoriam Gregorianam: verum contra aliorum scriptorum commota, & varios de hac insulâ & insulanis errores, directum. Cui Anno prædicto 1593. Hafniæ excuso, titulus est:

BREVIS COMMENTARIUS DE ISLANDIÂ, quo scriptorum de hac insulâ errores deteguntur.

Jam verò cum in hoc Blefkenij scripto plurima sint, quæ ex meo isto libello, velut prævisa, promptissime refutari possint: quòd Blefkenius ex scriptoribus ibidem commemoratis & correctis ac præcipue ex Gregoriano illo pasquillo (sic verè: quia alterâ & tertiâ editione autoris nomen suppressum est) suam narrationem magnâ ex parte hauserit, sæpius libellus iste pro Islandiâ citandus mihi est: & eò *Lector* remittendus: ne mea & illius cum molestiâ idem sæpius repetere cogar. Compendij autem gratia, libellum istum, pro Islandia tunc editum, citantes, Apologeticum appellabimus, cujus duæ sunt partes: 1. De insula: 2. De incolis: utraq; per sectiones quasdam distincta. Cæterum edito jam Apologetico, viri præclari, quorum in exteris familiaritate sum usus, non contenti defensione: Descriptionem insuper Islandiæ aliqualem poscebant. Emisi itaq; in publicum librum alterum de Islandia: Anno 1609. Hamburgi excusum, & hunc habentem Titulum.

CRYMOGÆA: SIVE RERUM ISLANDICARUM Libri III.

Ad

Ad quem etiam libellum, Lectorem in hoc discursu Historico remittere necessum est: eâ causâ, quâ dixi superius. Uterq; verò libellus Serenissimo Daniæ, Norwegiæ &c. Regi inscriptus est. Nunc ad Blefkenium.

ISLANDIA QVANDO PRIMUM cognita pag. 29.).

INsufficiens est capitis 1. Titulus: Quo tractatur: 1. Navigatio Blefk. Hamburgo in Islandiam: 2. Islandiæ magnitudo: Etymon & adhærens glacies Gronlandica. 3. Islandiæ latitudo cosmographica, & an sit hæc Thule: 4. Islandia quando primum cognita, & â quibus, quibusve primum inhabitata. Hæc ferè, cum ijs quæ singulis confusim annectuntur, cap. 1. non integris 6. paginis octernionis descripto, continentur. Quorum primum ut verum sit, quod tamen valde dubito, reliqua veritati parum consona ostendam.

De I.

Primo membro videtur Blefkenius Hiatlandiam & Fœroygias Orcadibus annummerare: Orcades, inquit, 15. numero: quarum plæræq; propter sterilitatem incultæ jacent: Ferove & Hitlandia solæ inhabitantur.

Sed neque sunt Fœroygiæ neq; Hitlandia ex Orcadum numero: id quod orbi magis Arctoo notius est: neq; verisimile est Orcades incultas jacere, contra quam veterum Norwagorum Annales, & in primis historia Baronum Orcadensium; tum etiam neotericorum Geographorum mappæ & monumenta testantur: Ac inter alia Ioann. Myritij opus Geographicum sic scribentis. Ad Septentrionem (Scotiæ) sunt Orcades Insulæ 30. Inter has primas tenet Pomonia, Episcopali sede & Regio castro ornata. Vide etiam Magini Geographiam: mihi & Myritio contra Blefkenium astipulantem. Concurrunt hæc & plurima, in sequentibus, quæ de Blefkenij navigatione Islandica, & multò magis de mora ibidem facta, dubitare cogunt. Hîc etiam de sidero: qua occasione Anno

1563. in Islandiâ remanserit, id enim studiose tacet: quum Anno 1564. morbum causetur, cur à Germanorum navibus avectus non sit; pag. 67.

De II.

Ilandia terra aspera) Nihil hic novi affertur: sed á Munstero & alijs antea decantatum. ut & sequentia.

Centum milia longa: duplo major Sicilia.) idem Olavus M. præter alios: vid. Apologetici, partem 1. sectione 4. & Crymogæam, lib. 1. cap 1.

A frigoribus & glacie nomen, quæ 6. mensibus continuis ipsi adhæret.) Ex Munstero totidem fere verbis. vid. Apologet. Part. 1. sect. 3. Idem etiam Frisius, ut illic videris: ubi utrunq; falsum convincitur, & Deus nobiscum multo mitius agere, quam hi annotârunt. Infestatur quidem hæc terra glacie quam Gronlandicam vocant, sæpius ad boream, rarius ad Occidentem & Orientem: rarissimè & vix unquam ad Meridiem: & quum infestatur, mora glaciei ad littus plurimum variat: alias enim littus vix attingit, uno aut alio loco: aliàs mensem unum aut alterum adhærescit. Plerunq; ante Martium non adest, & in Aprili vel Iunio dispellitur. Nolo à Blefkenio. nisi contra Blefkenium testimonium hîc petere, qui se ait, pag. 62. 65. in Martio ex Islandia soluisse in Gronlandiam, & in Iunio esse reversum: ac interim glaciem in sulam 8. mensibus cingere continuis, & naves extraneas ante finem Augusti soluere. Est autem, quando multis annis continuis ne in conspectum quidem insulæ horrida glacies veniat: ut si anni supputentur, quibus appulerit & non appulerit, crederem hos plures futuros.

De III.

Latitudinem ab æquatore habet tantam, ut circulus Arcticus medianum secet. hoc est gr. 65. cum semisse)

De Latit. Islandiæ Cosmogr. vid. Apologet, part. 1. sect. 1. & 3. ubi pro gr. 65. leguntur gradus 45. errore Typograph. vid. Crymog. lib.

lib. 1. cap. 1. qui tamen error Typographicus ex annotata mox noctium & dierum quantitate restitui potest. Porro ex cap. 3. Blefkenij patebit, ipsum de latit: Islandiæ ut cæcum de colore judicâsse: suamq; latitud. ex Gemmâ Frisio, aliisq; (qui illam tamê non mediç insulæ tribuit) ut Neandro &c: Psittaci more suppressis autoribus, exscripsisse. Dicit enim Neander, Islandiam tribus in circulum Arcticum gradibus excurrere; ab æquinoctiali: adeo ut mediam ferè circulus ille secet: Cujus verba Blefkenius hic repetit. Visum autem est huc ascribere, quæ Blefkenius cap. 3 sub finem, de Latitudine Islandiæ, sive noctium & dierum quantitate annotavit: pag. 57. *Tempore hiberno*, ait, *ante & post solstitium, cum Sol descendit, atq; in Sagittorio Capricorno & Aquario est, ab illis recedit, neq; supra horizontem ascendit: donec Pisces attigerit: igitur nullam lucem habent, nisi â stellis & luna: vicissim circa solstitium æstivum, cùm Sol ad Geminos, Cancrum & Leonem ascendit, nunquam infra horizontem descendit. igitur eo tempore noctem non habent)*

Aut hîc prorsus insanit Blefkenius: Aut in Islandia annuum spacium nunquam vixit; Aut post homines natos omnium impudentissimè mentitur. Obstupesco ad ingenium hominis talia prodere & literis mandare non veriti tamque contraria scribentis. Medium sc. Islandiæ, latitudinem habere gr. 65.30, & nihilominus lucem nullam habere, nisi à lunâ & stellis, dum Sol integra tria signa Zodiaci permeat. quod si hęc ipsa de mensibus caliginosis, ex Munstero, Vadiano, Olao Goto (suo fautore & Patrono historico, inq; describendâ Islandiâ fulcro præcipuo) habere professus fuisset, ignoscendum ipsi foret. Cùm verò non audita, sed visa & comperta referre se dicat, quis læso ipsius cerebro, & fronti, cerussam profuturam illinere queat? Quis oculis ipsius, ad solem meridianum, in ipso solstitio brumali, supra horizontem corporaliter, ut sic dicam, extantem, caligantibus, idoneum collyrium præstet?

Latitudo Schalhotiæ, quæ ſedes eſt Epiſcopalis ad Meridiem non Orientem,ut Bleſkenius falſo annotavit : pag. 26. obſervata eſt gr. 64. & aliquot min. Et Beſſaſtadij,ubi Bleſkenius commoratus dicitur,& Præfecti reſidentia eſt, Latit. etiam 64. gr. deprehenditur,ut ferè in vicino tractu lateris meridionalis. Unde pro numero accedentium minutorum,diei breviſſ. quantitas exurgit : alibi quidem 3. hor 30. m. alibi paulò alia. Sed omiſſis rationibus ſphæricis,rude vulgus & iſtius tractus accolas, ac oculorum experientiam adeamus : teſtantem identidem : ipſum corpus ſolare ,ſupra horizontem,in brumali ſolſtitio extare conſpicuum, tanto circiter temporis momento,ut diximus. Tantum abeſt : ut Sol à ſuo in Sagittarium ingreſſu,uſq; dum Piſces attigerit, hoc eſt à 12. novemb. ad 9. Febr. infra horizontem deliteſcat : & ut Islandi tanto tempore lucem nullam,niſi,à Lunâ & Stellis habeant ; ut hic vir, ſine omni verecundiâ,contraq; omnem ſenſum communem aſſeverare audet. Quid autem eſt : ſi hæc inſania & amentia non eſt? Quid quæſo fidei ſcriptori huic in aliis rebus habendum erit : in re tam inſigni & manifeſta, adeo audacter falſa aſſerenti & experientiam propriam alleganti ? Referatur ad SAPIENTIAM, VERECUNDIAM & Veritatem Bleſkenianam. Cap. 1. indagatas.

Hujus inſulæ (Islandiæ) extremitati Aquilonari objectæ ſunt inſulæ quæ Ebudæ vocantur. pag 21)

Quum Iſlandia à Meridie habeat Orcades & Scotiam (teſte Bleſkenio, pa. 58.) ideoq; etiam Hiberniam & huic adjacentes Ebudas inſulas : teſte Myritio : manifeſtè falſum eſt extramitati Aquilonari Iſlandiæ objectas eſſe Ebudas, niſi Bleſkenio Aquilo & Meridies idem ſint.

An verò ex iſtis (Ebudis inſulis) ſit ea, quæ Ptolomæo & veteribus eſt Thule. an verò Islandia &c)

Legatur Crymog. Lib. 1. cap. 1. ubi aliquot firmiſſimis argumentis oſtenditur, Islandiam non eſſe Thulen.

De

Hujus gentis originem paulò altius repetam, sequutus fidem Annalium Islandicorum. Anno Christ 900 tempore Alebrandi Episcopi Bremensis, Nobiles aliquot ex Orientali Frisia, & ex agro Bremensi, versus Septentrionem novas inquirere regiones volentes, ex Visurgo cassem solverunt, praternavigantes Orcades, insulam hanc, habitabilem quidem sed nivosam, invenerunt in ultimis Europa finibus. Cui propter frigus & rigorem Islandia nomen dederunt)

Qualem se Cosmographum Blefkenius probat, talem quoque historicum & chronologum: Asinum, me Hercle, ad lyram: quod vel hinc constabit: dum Alebrandum Episcopum Bremensem in Annum Christ 900. incidisse affirmat Id quod longe aliter se habere, Chronicon Bremense indicio est: quod Anno 1579. Hafniæ edidit & D. Friderico. II. Daniæ Norwegiæ, &c. Regi Sereniss. dedicavit M. Andreas Vellejus, vir multæ Lectionis & non vulgaris historicus. Cujus Chronici vetustus autor, ipsi Alebrando Synchronos fuerat, eidemq; supervixerat. Hic tradit, Alebrandum sepultum esse An. 1043. sedisse autem decennium: initiatus igitur est Anno 1033. & Blefkenius annis 133. ut minimum, â verò abest. Qui quum Historias suæ gentis (si Germanus est: nec enim id hactenus mihi constitit) aut vicinarum, non aliter calleat: quis ipsi de rebus exterorum quidvis referenti, fidem non abrogabit? Refer ad Veritatem Blefk.

Secutus fidem Annalium Islandicorum)

Os impudens, cui aliás ne vera quidem, forte fortunâ dicenti, fides habenda, censente Aristotele de mercede mendacis. Quid hic vir non audebit in alijs? quum adversus Annales tam sit frontis perfrictæ? quod tamen conscius sibi est, se nunquam novisse aut consuluisse: eosq; igitur, si his discrepantia traderet, in æternû contra se testari, utpote, vivaciores quam ut cum unius alteriusve hominis ætate occidant. Annales omnes Islandorum, te Blefkeni, falsitatis arguunt, omnesq; uno & concolore calculo te con-

demnant: tum de tempore inventæ Islandiæ à primo gentis conditore, Insulgo, Baronum Norwegiensium propinquo sanguine oriundo (inventæ, inquam primum, post tres alios famosos nautas: qui inventam non incoluerunt) Anno Christi 870. & ab eodem, post quadriennium, cum sociis plusquam 400. occupatæ & inhabitatæ: tum etiam de primis inventoribus & incolis: qui & unde fuerint; Nempe non Bremenses aut Frislandi: sed Norwegi: non ex Francia, ut tute scribis, sed ex Norwegia, sedes transferentes, Grymog. lib 1. cap. 3. Unde porro Blefkenium putem suum habere figmentum, dicam: Nempe vetus rumor est: Episcopum Bremensem, NorWegis Brandanum dictum (quem Alebrandum intelligere liceat) legatos cum sodalitio monastico misisse, ad fidem Christianam in Septentrione indagandam, de quo vid. apologet. part. 1. sect. 14. Cui relationi fabula miscetur: de nautis istis Bremensibus, anchoras in cetorum dorsa, ait Munsterus, figentibus. Legationi autem isti, si quid veri subest, poterat fieri, ut hi Islandiam attigerint: sed habitatam: utpote, cui Christum jam annunciaturi essent. Verum de fide hujus narrrationis parum laboro, ut cujus nihil nostra interest: neq; in Annalibus legitur.

Nec nobis Blefkenius quicquam ex suo Olao Goto, quem is Magnum vocat: contra nostrorum Annalium fidem persuaserit, ut scriptore exotico, & dubiæ fidei, nec sine notâ publicâ. Legatur Apologia Petri Parvi Rosefontani Equitis Dani contra Fratres illos Upsalienses: Ioannem & Olaum nobile sc. par historicorum, Danorum nomine scripta, Anno 1560. ad Dn. Fridericum II. Daniæ Nor. &c. Regem. Quin potius: quum se Blefkenius ad fidem Annalium Islandicorum astrinxerit, illorum tenore & judicio stat caditq;, quem si nō absolverint, condemnabunt: nullū est tertium. De tempore autem inventæ Islandiæ, primisq; incolis, qui & unde fuerint, contra quam à me scriptum est; ex fide nostrorum Annalium, in æternum nil unquam probabit. Quæ præterea Blefkenius addit de navigatione Bremensium in tenebras & voragines Ola-

via-

vianas, quam somnium illud nihil ad nos pertineat, refutatione non dignamur: Dum tamen omnibus constet, eum neque ad hoc Annalium nostrorum suffragijs niti, sed ex Phantasia Olaviana hoc ophobalsamum historicum expressisse: nec enim tam stupidi fuere nostrorum annalium concinnatores, ut sub ipso Polo, illo anni tempore quo mare glaciale tentare ratibus liceat, tenebras statuerint.

Cumq; ulterius ad Septentrionem navigâssent, circiter 200. miliaribus, aliam Insulam invenerunt quam per antiphrasin Gronlandiam nominarunt. Longius versus Septentrionem navigare conantes, per mare Glaciale, sive Concretum, diu glacie prohibiti, tandem magnis laboribus, ex glacie eluctati, in vortigines maris (quarum etiam meminit Olaus Magnus, lib. 11) & tenebras densissimas inciderunt, unde maris æstum singulis diebus provenire, multi rei nauticæ periti adfirmant. In his tenebris & vortiginibus ista classis, unâ navi exceptâ, periit. Qui fuerunt servati, post diuturnos labores & pericula, per mare Tartaricum navigantes, in calidissimam, venerunt regionem, Sinum maris amplissimum ingressi, in vicinam terram descenderunt. Cæteri, post longam navigationem, has voragines vitantes in Moscoviam appulerunt, inde per mare Balthicum Bremam reversi Alebrando Episcopo, cum parte predæ, hæc retulerunt.

Hîc constabit Lectori, Blefkenium hoc historiæ suæ auctarium, ex *K*ranzij præfatione in suam Norwegiam emendicatum esse, autoris suppresso nomine (ut solet) & sententiâ inversâ: quod ex collatione, Lector facile deprehendet. Præcipuè autem de reditu Frisonum Bremam, per Moscoviam & mare Balthicum. *K*ranzius ne somniavit quidem: Quem si Blefkenius ex mari Tartarico in Balticum, itinere navali factum sentit, jam Suecia & Norwegia insulæ forent: quod manifeste falsum est. Interim hinc apparet Blefkenium suos centones aliunde consuisse: sed & aut mutilando, aut deteriore auctario locupletando aliorum sententias: quum tamen pagin. 8. se vix nisi ab alijs omissa scripturum dicat.

dicat. Refer ad Veritatem Blefkenianam, quam & sequentia illustrabunt.

Id tantum hoc loco contra Bremensium illam navigationem, cujus autor nobis Blefkenius, addere visum est. Autorem Chronici Bremensis, Alebrando superstitem: quum Alebrandum aliàs in cœlum tollat, & quidvis ipsius tempore gestum ad laudes eius conquirat, eum non fuisse navigationem hanc tam celebrem & Alebrandi ut Blefkenius ait (quod Kranzius tamen Alebrando non tribuit) auspiciis susceptam omissurum, in qua & Terra nova, nempe Gronlandia inventa sit, & iter ex Oceano per mare glaciale in Tartaricum, apertum, prædaq; rara & eximia in hujus rei fidem, Alebrando allata.

Notetur etiam, quod quum, ut dixi, ex Kranzio suam hanc narrationem compilaverit: interim tamen à Kranzio plusquam centum annis dissentiat: quà autoritate vel potius insaniâ, non video. Kranzio autem cum Chronico Bremensi, optimè convenire potest. Legatur *Kranzius*.

Sed estne etiam hoc loco Blefkenius contra Blefkenium testis sufficiens, qui pag. 61. ait: Paulum Stigotum Islandiæ præfectum eam laudem affectasse, ut Regi suo per has maris fauces & glaciem ad Chynæ regnum, per mare Tartaricum, quod ab aliis sæpe, sed frustra tentatum fuisset, navigationem vel transitum aperiret.

Cæterùm an frustra tentatam illam nevigationem verè dicat, ex recentiore Historicorum commemoratione judicetur: quæ nobis tam Anglorum inprimis, quam Hollandorum, varias navigationes in mare Tartaricum expeditas diversis annis, inde â 1553. suggerunt: Dè quibus videatur Mercurus, Gallobelg. Iasonij. lib. 11 & 13. præcipue

IN CAP. II. BLEFK.

De Islandicorum religione.

Islandicorum) Cur non Islandorum Blefkeni? Num tu iam demum

demum ad ferulam & puerorum subsellia es revocandus atq; à Barbaris tuis Patronymicorum Categoriam docendus? Sed res ipsas videamus; quæ hîc, quam capite superiore, sunt nihilo minus turbatæ, aut veritati magis consonæ.

Anno Christi 1398. administrabat Regnum Danicum Valdemarus ejus nominis secundus, cui adjunctum erat Norvvegicum, cujus posteritas id tenuit usq; ad Ericum Pomeraniæ Ducem ac Christophorum Bavarum. Huic Woldemaro paruerunt & Normannorum Coloniæ Arctoæ omnes, ut & nunc sub illo Valdemaro Islandici primum in Christiana Religione instituti sint, cum hucusq; alienos Deos coluissent.

Margareta Semiramis Danica, rerum gestarum celebritate meritò sic appellata, Haquino Magni F. Nor. Regi nupserat: Hæc quidem Valdemari filia fuit, sed non Secundi: nec dum Regna hæc Daniæ & Norwegiæ coierant. Horum filius Olaus, Anno *1370.* Daniæ Rex designatus, Norwegiæ quoq; Regnum à funere Patris obtinuit, Anno 1381. Isq; primus fuit (nequaquam verò Valdemarus II.) Daniæ & Nor. &c. Regnum postea non interruptum gerens. Quo defuncto, Regina Mater D. Margareta Danorum & Norwegorum dominium adepta est. Anno 1387. Vid. Grymog. lib. 3. ubi hæc ex Chronico Dn. Arnoldi Huitfeldij Regni Daniæ olim Cancellarij, descripta leguntur: præterquam quod Annales Islandorum consentiant.

Valdemarus autem II. circa Annum Christi 1202. Rerum Danicarum potens, Norwegis nunquam imperitabat, eoq; nec Islandiæ aut alijs Norwegiæ provincijs. Illis verò temporibus in Norvvegia rerum potiti sunt Haquinus Suerri filius: Anno 1204. Inde Haquinus Haquini F. mortuus Anno 1263. qui Anno 1261. Islandos primum Norvvegiæ tributarios fecit: Grymog. Lib. III. initio. Haquinum illum in Norvvegiæ regno excepit filius Magnus, mortuus anno 1280. Hunc filius Ericus Anno 1299. vivorum numero sublatus. Ericum frater Haquinus Anno 1319. decedens, Haquinû

Magnus Erici F. prædecessoris ex filia nepos, captivus in Suecia, Rex esse desiit Anno 1365. Magnum filius Haquinus, cui ut dictum est, D. Margreta nupserat: quibus Natus est Olaus Rex, ut suprâ. Hæc licet Annalium & historiarum irrefragabili veritate constent: Nihilominus Valdemarus II. post annos fere ducentos, redivivus Blefkenio, Res Danicas Anno 1398. administrat.

Pudeat te Dithmare, in conspectu & luce tam illustrium temporum & historiarum, veritati vim facere: Multa, enim hic falsa afferuntur. 1. Quod Valdemarus. 2. Norwegiæ aut Islandiæ unquam imperaverit. 3. quod Anno 1398. supervixerit & regna administraverit 4. Quod sub eius imperio Islandi primû facti sint Christiani. 5. Quod ad annum 1398. Islandi Deos coluerint alienos. 6. Quod postquam ad Christum conversi essent, denuo in idololatriam relapsi sint: de quo paulo post. Adeo præceps noster Dithm. rerum novarum aviditate & criminandi libidine, in hæc avia & absurda Historica fertur: ut rerum, personarum & temporum confusionem nil curans aut metuens, ad probra gentis nostræ, confingenda & compingenda, remis velisq; festinaverit: ex rivis autem & fontibus Historiarum, ut canis è Nilo, biberit. I. nunc Lector & Blefkenio probra & contumelias in gentem Islandorum confingenti fidem & assensum accômoda. Referantur hæc ad Veritatem Blefkenianam: supra vivis coloribus & lineamentis exhibitam.

Porro de initijs & incrementis religionis Islandorum vide apologet: part. 2. sect. 1. â. fol. 50. ad 59. & Grymog. lib. 1. Quibus locis, ex Annalibus Islandicis, ad quorum fidem Blefken. se alligat, refertur: Anno Christi 982. de fide Christianâ, inter Islandos agi cœptum esse: Et 984. ædes sacras, quibusdam Islandis in usu fuisse, deinde Anno 997. & pauló ante, auspicijs Olai Tryggonis Nor. Regis (quamvis ille Islandiam, ut nec secuti aliquot Nor. RR. ad annum usq; 1261 sicut diximus, in deditionem non acceperat) Tangbrandum quendam de religione Christiana in Islandia concionatum esse. Dum tâdem anno 1000, ejusdem Regis pieate procurante, in fidem Christi, publicè & sollenniter juratum sit. Blef-

kenius igitur annis ferre 400 (nempe *398*) abest à verâ Islandorum conversione. Episcopi autem post annos *50*. Mox constituti sunt, per quorum successionem nunquam interruptam, atque in Apologet: part. *2*. sect. 1. & in Grymog. lib. 1. cap. 10. descriptam, firmiter asseritur, Islandos in idololatriam nunquam esse relapsos: nedum post annum 1398. ut Blefkenius falsò afffirmat.

Præter autem Annalium nostrorum fidem Blefkenio (ipso fatente) dominantem: etiam Kranzium hoc loco eidem opponimus jure optimo: Qui quamvis de initiis religionis apud nos, nihil disertè: anno tamen 1070. Christianos fuisse, scribit. Adalbertus, inquit, Metropolitanus Hamburg. Anno 1070. vidit ad Christum conversos, ubi quantum ad Isleif. primum Islandiæ Episcopum, legendum est 1057.

Constituerat Rex Voldemarus cum primum Christi doctrinam profiterentur in Islandia Episcopos duos, unum in Scalholden in Orientali plaga: alterum in Hollen ad accidentalem Solem.

Satis dictum jam est: Valdemarum nullum unquam, nedum Secundum, imperasse Islandis: nec Ecclesias aut Episcopos constituisse: Sed propter situm Scalholltiæ & Holensis residentiæ hæc non incastigata dimittenda. Scalholltiam enim in Orientali Islandia collocat: quæ in Meridionali: & Holas in Occidentali: quæ in Boreali, sitæ sunt. Ac interim se ad Heclam montem profectum ait: pag. *66*. quæ via, à Bessestád. præfecti residentiâ, & Blefkenij, ut scribit, hospitio, per Scalholltiam ducit. præcipuè: si per locum foro anniversario deputatum, ut ait, iter habuit, Et mirum est, hominem tam sagacem, dum illàc iter haberet, de Cathedrâ Scalholtensi nihil sciscitâtum esse, si ipse non vidit, aut adijt. Quod quis Blefkenio novitatis avidissimo, credat? Heclam verò, ad quam profectus, parum aberat, quin fumo & cinere strangulatus esset (infra pag. *67*.) in Boreali Islandia sitam asseverat: cap. *5*. quum tamen à Scalholtia non procul distet milliari uno aut altero: ac proinde Islandiæ meridionalis mons sit. Vah, Blefkeni: De circulo Arcti-

co & æquinoctiali(cap. 1.)deq; gradibus & climatibus, Solis ascensu & descensu in Zodiaco(cap. 3.)garrire aliquid audes: qui dum in Islandiâ esses, mundi cardines, Bæoticâ minus sue, discernere noras. Desine igitur Caracallæ vendere nummos: detecta fraus est: periitq; suo sorex indicio. Quod ita fato factum esse quis dubitet: ut scitu ob tam crassa mendacia (ad quæ coarguenda, non Annalibus, non documentis aliis quàm cœlo & terrâ: hoc est ipso, locorum situ, hactenus immutato, opus est)in alijs plerisq;, si non apertè mendax: vanus tamen & suspectus haberére.

Cùm verò illa, de quâ dixi, à rege Christiano ecclesiarum in Islandiâ facta esset reformatio, alter Episcoporum in Scalholden cum populo factâ conspiratione, Evangelij doctrinam excutit, & Rebellione facta, Regium præfectum interficiunt.

Apostasiæ & rebellionis crimen, eadem opera hoc loco Islandis objicit: sed violatâ veritate: ut in Grymo g. ostensum est. Præterea confundit duas res gestas à diversis, diversis quoq; & locis & temporibus, quæ leguntur Grymogæ. lib. 1. in Christ. III. Quarum altera gesta est Anno 1539. altera 1550. & illa Holensem, hæc Scalholtensem Episcopum concernebat. Sed Blefkenius malè omnia confudit, & pervertit: tempora, res, personas, loca: ut mali coci jura: quo se rerum & Historiæ penitus ignarum, ac interim egregium blateronem, novitatis flagrantem desiderio, strennuè probet: ac saltem aliquid scribere, & Lectoris aures detinere velle: & commentarios de Islandia, sive veris sive fictis rumoribus, supplere. Verum enimverò, motibus istis, non apostasia neq; rebellio gentis, ut dictum est, suberat. Ambo isti Episcopi Pontificiorum favebant doctrinæ: nec reformationem à pientissimo Rege institutam facilè admiserunt(quod quamvis laudem non meretur: apostasia non erat) Quare Regij defectionem metuentes, maturè occurendum statuebant, missis Legatis, qui subditos in officio continerent: in quo tamen, vel Legatis ipsis fatentibus & laudantibus (vide Huitf. Chronicon)ipsi spontè subditi perstiterunt. Non igitur

tur defectio seu rebellio gentis, ut nec ejusdem apostasia: sed, ut dixi, duorum Episcoporum Pōtificiorum adversus reformationem Ecclesiarum, reluctatio quædam, aut veriùs tergiversatio, Legationi Regiæ causam vel ansam præbuit: vide Grym. loco citato. Tantum ergo noster hic Erro, à metâ veritatis, etiam hoc loco aberravit: quantum à Germaniâ aberat, quum Islandiam, Lusitaniam, Numidiam, Regnumq; Tunetanum & Maroco, pererraret.

IN CAPUT III.
De Islandicorum vitâ & moribus)

HÆc Helena belli, mi Lector: hic Blefkenio scopus, hæc meta & finis propositus fuit: ut pretextu reliquorum annexorum, miseræ alioqui satis, suâ pauperie, frigoribus, &, ut Domino placet Blefkenio, barbarie, genti, aliquo demum modo insultaret: eamq; despicatui haberet: Ad imitationem nempe aliorum scriptorum quorundam, sed longe acerbius & atrocius: unde hoc caput reliquis longè est prolixius, longeq; copiosius, nam quid aliud afferret novi ipsius hoc opus? Quorsum annis 40. & diutius, omnes huc ingenij nervos intenderet: si non contumeliis & probris alios vinceret?

Leonem, ut ferarum generosissimam: ajunt à prostratis hominibus abstinere, etiam lacessitum, si ipse illæsus fuerit: sed quatere & sternere solum, non unguibus lacerare: atq; ita dimittere. Unde Ovid.

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni.

Sed ô nostram, ferum inquam hostem Ditmarum Blefkeniū: qui cum Leonis feritatem æquet, ab eadem tamen quadrupede generositate vincitur & clementia. Scriptores etiam, magni alioqui nominis, hactenus multa in nos, ex plebe & vulgo nautico hausta congesserunt: multa quoq; alij glossaspides, quos scriptorum nomine non dignamur, nunc rhythmis, nunc rumore, in gentem nostram evomuerunt: quorum insectatione & insultibus, quantū in ipsis fuit, velut prostrati jacuimus: interim tamen Blefkeniana

pietas nihil idcirco nobis pepercit, ſed ferociâ pluſquam Leonina nobiſcum egit: idq; non laceſſitus. Sumendos itaq; animos exiſtimavimus & hac commendatione anatomicâ & analyticâ, ciendum velut galli aliquod canticinium, quod feram hanc, non quidem generoſum Leonem ſed Leænam torvam & impudentem, Islandorum famam & nomen inceſſentem, vertere terga compellat. Nec enim, ô populares, de victoria deſperandum: quum gemmam Alectoriam ad vincendum efficaciſſimam (quam in galli ventriculo inveniri, compertum ajunt) nos geſtemus, hoc eſt quum veritatis invictæ, quæ à noſtris ſtat partibus, nobis conſcij ſimus. Alectoriam autem gemmam, Milo Crotononiates, in certaminibus Olympiacis geſtans, invictus fuit. Plin. lib. 27. cap. 10. ut jam minus mirum ſit, gallum gallinaceum.

Cur nequeant rabidi contra conſtare Leones,
Inq; tueri: aſt continuo meminere fugai:

Lucretio canente. Nunc ad rem.

Hominum tria genera) Diſtinctio frivola & inſufficiens, pro cuius emendatione, lege Grym. lib. 1. cap. 6. & 7.

Plæriq; viri Island. valdè ſuperbi) Quænam iſta tam rara & à Leonis ferociâ declinans Bleſkenij clementia? plæriq; dicit, non omnes: certè hac mitigatione, Dithmarus, Dithmarus non eſt. Solet enim aliàs convitiorum hic Hercules, univerſaliter loquendo, omnes Islandos, ſub unam Myconum cogere, omnes veneficij, ſordium & ſcelerum indifferenter damnare, ut pouló póſt.

Natio omnis Islandicorum ſuperſtitionibus dedita, &c. & alibi)

Cæterùm, quod ad ſuperbiæ probrum attinet, non inficias imus, quin id virus, miſerando quidem, ſed communi mortalium fato, in noſtrâ quoq; natione, ſuos fautores & cultores inveniat, neque nos, præcipuè in conſpectu Dei. *Ante oculos cujus, nil niſi culpa ſumus*, excuſare præſuminus. Sed in foro humano, tum demum id vitij in natione notandum fuit, hiſtorico, ſi eo reliquæ ab Islandis

vin-

vincerentur, quod si blattero inter Superbiam & Rigiditatem ac ingenij & morum quandam dissimilitudinem cum suis hominibus discernere novisset, immo voluisset, non crediderim superbiæ crimen Islandorum nationi peculiariter objectûrum & adscripturum fuisse.

Uterq; sexus in Islandia eundem habitum habet) Etiam illud tam verum quam quod minime: Teste omnium temporum experientia. Nam de priscis: illorum historiæ discretum utriusq; sexus habitum satis loquuntur. Quod ipsum ex lege sumptuaria, vestitus pretiû utriq; sexui discretim statuente, in codice LL. arguitur. De nostra vero ætate si quis requirat, cõtra nugatorê res ipsa testatur.

Natio omnis Islandicorum admodum dedita est superstitionibus, spiritusq;, familiariter ipsis servientes habent. Illi enim in piscatione tantum sunt fælices, qui noctu à Dæmone ad piscationem excitantur. Quamvis verò Evangelij ministri in dehortando ab ista impietate omnem diligentiam adhibent, tam alte tamen hac impietas in mentibus illorum hæret, & radices egit, itaq; sunt â Sathana fascinati, ut nullam sanam doctrinam & dehortationem admittant: Imo Diaboli opera oblato pretio, ventum secundum pollicentur, & præstant (quod mihi ut postea dicetur (compertum est) Simile Olaus Magnus de Finlandis scribit lib. III)

Idem noster Islandomastix supra, pag. 26. & ijsdem fere verbis tradit; *Dæmones sibi servientes & familiares habent tanquam domesticos)* Repertos autem esse olim veneficos & veneficas aliquot, tam hic, quam alibi gentium, quis neget? Sed vicissim. Quis præter Blefkenium tam impiè audax & effrons, ut propterea totam nationem Veneficij condemnet? Non secus, ac si quis universam nationem Germanicam propter lamias vel strigas passim & sæpe ignis supplicio affectas, Magiæ diabolicæ & veneficij insimularet. O pessimum Dialecticum qui toties acerbo cum opprobrio nostri: à specie concludit ad genus. Miror, si nulla exstet editio Dialecticæ autore Satanâ: quam verbero hic sequatur: Hominum enim quos Sol unquam vidit, nullus sic argumentari docuit: Extat autê lex in

Codice nostro de veneficis & incantatoribus, capite plectendis, eorumq; bonis, si habeant, confiscandis. Titul. Manhelge, cap. 2.

Naves quoq, cantando, etiam secundo vento, immobiles retinent ferè. Et profecto mirum est, quod Satan cum illis ita ludat, Remedium enim illis in retentione navium monstravit excrementa scilicet puellæ virginis, si proram & certos asseres navis hoc unguento illinant, hoc fœtore spiritum fugari & abigi docuit. &c.)

Ne verò hoc simpliciter & nudè de nostratibus pronunciet, exemplum piscatorum apposuit: & alterum de incantatis & retentis navibus: ejusdemq; incantamenti remedio valdè ridiculo & ad suum palatum competente: cujus fides penes ipsum sit: Nostri istas fœditates nec nôrunt nec requirunt.

Sed veneficia Islandorum expertus est ipse Dithmarus: ut infra pag. 70. dicturus est: ubi unicum saltem exemplum allegatur ab ipso; plura, si habuisset, non relicturo: de quo ibi pauca. Quod quamvis verum esset; debueratne reminisci Blefkenius: Unam Hirundinem non facere ver?

Olaus Magnus simile de Finlandis scribit) Arcades ambo: Accio enim idem quod Titius: Avesq; concolores unà volant. Nec Blefkenius nobis aliter pepercit, quàm suis Finlandis Olaus. Sed an pari jure uterq;, mihi de Finlandis utiq; non constat: De Islandis testor Veritatem: summâ hic injuriâ (si pauculos excipias) affectos.

Sequitur de victu Islandorum ex alijs Scriptoribus apud Blefkenium repetita nænia: de quo, ut reliqua vivendi ratione, vide Grymog. & Apologet; locis citatis, superius.

Advenientes in portum filias nubiles secum habent, hæ, postquã à nostris exploraverint, an domi uxores habeant: si non habent, pro pane, aut biscocto, aliàve levissimâ re noctem promittunt. Interdum parentes mensem unum, aut quandiu manserint, concedunt filias vel gratis. Ex eo concubitu si facta fuerit gravida, parentes majori quam antea filiam complectuntur amore, natamq, prolem annos aliquot educunt, donec aut Pater revertatur, aut futuro genero in dotem addunt

cum

cum filiâ, qui minimè quod è Germano ſanguine natum eſt, contemnit: Si quæ virgo cum viro Germano habuerit conſuetudinem, in honore apud illos eſt: Propter eaq; à multis petitur procis, ac fuit ante hoc tempus, cum ſtupra, quæ quidem extra ſanguinem & proquintitatem fiebant, nullam haberent infamiam: Quam longè vero hæc natio ab illorum moribus abeſt, qui ſummam dotem in virginitate ſitam eſſe ducunt, ut Petrus Bembus in ſuâ Venetâ hiſtoriâ lib. 6 teſtatur, ubi ita ſcribit: Portugaliæ Regis nautæ mare Rubrum ingreſſi, complures nigrorum item bonorum hominum ac bello fortium civitates adjerunt, qui natis ſtatim fæminis Naturam conſuunt, quo ad urinæ exitus non impediatur, easq; cum adoleverint, ſic conſutas atq; coalitas in matrimonium collocant, ut ſponſi prima cura ſit ſic conglutinatas puellæ oras ferro interſcindere)

Sterquilinium commotum, magis ſœtet: id quod uſu venire, in excrementis hiſtoriæ Bleſkenianæ proculcandis, res ipſa probat, quæ libentius intacta reliquiſſemus, niſi à ſilentio noſtro, ut confitentium, famæ periculum imminere præviderem: præviderem q; atrocitatem calumniantis, lectorem nobis æquiorem reddituram: niſi enim ipſius hic verba repeterentur: quis crederet, tâtâ nos ab eo injuriâ affectos, tam diris maledictis & probris laceſſitos? Calumniatus quidẽ eſt alius, nempe Cerdo ille nauticus Gregorius Peerſe, ſupra commemoratus, quomodo etiam hic ipſe Dithmarus: Scortationes nempe & Adulteria in Islandorum gente, ſceleris loco non haberi: &c. Cui etiam Apologetici part. 2: ſection. 12. reſponſum eſt. Sed Bleſkenius ut malidicentiſſimum genus hominum virulentiâ probroſâ ſuperet, addit. *De filiabus â parentibus proſtitutis: idq; cum laudis affectatione: deq; ipſis puellis nautarum amplexus, omni poſthabito pudore, ſollicitè petentibus.*

Tolerabilis foret: ſi hæc ab uno, aut altero deſignata mentitus fuiſſet. Sed quid poteſt ipſius univerſali vel generali calumniâ, quam jam toties notando feſſus ſum, atrocius fingi? Fuit, inquit, ante hoc tempus, cum ſtupra extra ſanguinem & propinquitatem

nullam haberent infamiam. &c) Ain' tu ſcelus, ſtupra apud Iſlandos nullam habuiſſe infamiam, extra ſanguinis propinquitatem patrata? Quid igitur ſibi volunt antiquiſſima gentis noſtræ ſtatuta, (præter ea quæ afferuntur in Apologet. Part. 2. ſect. 12) in Codice LL. honeſtati & ſacro juſtitiæ rigori dicato præſcripta? quæ delibantur in Grym lib. 1. cap. 8. quod eſt de Nomotheſiâ veterum Islandorum: ubi legatur Titul. De Conjugio: Quo, non ſolum ſtupris, raptui, adulterio, incæſtui &c Sed etiam baſijs, ſed amplexibus clādeſtinis, licet ſtupro nō conjunctis, pœna infligitur grauiſſima: Et baſijs quidem, pœna exilij, ſi invitâ fæminâ fierent: ſi conſentiente, trium marcarum Iſlandicarum: nedum ipſi ſtupro: cujus pœna pro diverſis ſtupri ſpeciebus variat. Nam ut adulterium & incæſtum taceamus; ex ſolutis, liberæ ſtuprum fuit graviſſimum: Capitis nempe diminutione (arrige aures ſycophanta & ſtuprorum ſcriptor) capitis inquam diminutione maximâ mulctandum: Satisne hoc intelligis Bleſkeni? Hinc libertæ ſtuprum capitis diminutione minore, hoc eſt exilio ſive deportatione plectebatur. Ancillæ vero ſtuprum, trium marcarum Iſlandicarum ſatisfactione. Quæ ſancita vetuſtiſſima, cum recentioribus Regum edictis, poſtquam in eorum poteſtatem Iſlandia redacta eſt, contra Os illud tuum, Bleſkeni, obſcœnum & effrene, in conſpectu omnium mortalium teſtabuntur. Nequaquam igitur, ô bambalio, gentis iſtius, quam ex Bembi relatione, noſtræ Nationi tantopere præfers, acu & fila mentis, noſtratibus ad virginum cuſtodiam opus eſt: quarum ſi nonnullæ honeſtati minus ſponte pareant, parentum & tutorum metu coërcitæ, tam Germanorum quam aliorum quorumvis inſidias vitare diſcunt. Nam ut ſtupratorum pœna fuit modo dicta: ita ſtupratæ ſcelus non impune auferebant (niſi vim paſſæ, & de illa intra lege præſtitutum tempus; horas ſc. 24. proteſtatæ) ſed jure Veteri & Novo, exhæredandæ pronunciantur. Nihilominus Stupra infamiam apud Iſlandos nullam habere: Quin & filias leviter, Imò laudabiliter ab ipſis proſtitui, Bleſkenius conviciatur? Itàne vero: ſi

in-

infamiam non habent, siq; illud Blefkeni, de prostibulis tuis verum est: quorsum quæso commemorata illa honestissima statuta, in utrâq; nostrâ Rep. novâ & veteri? Quid igitur sibi volunt stupra olim & postea cæde & sanguine expiata? Quid Faber ille insulæ tyrannicus præfectus: ob libidinem & alia turpiter designata, Anno 1360. in boreali Islandiâ, fæminæ auspicijs, aperto marte & ferro, cum sociis non paucis impetitus & impune occisus, Magno Erici filio, Norwegiæ & provinciarum Rege? Quid Ionas Guttormius, cogn. Skraveifa, insulæ perniciosus Nomophylax, & Fabri illius studiosus assecla, pariter impune mactatus, eodem conflictu? ut reliqua omittam: quæ recensere longum est. Non caruit igitur stuprum & libidines, uti tu, propudium hominis, impudentissimè calumniaris, infamia: multò minus parentes filias vulgo prostituunt, quin potius, lepidissime Dithmare, hæc comminiscendo, pudorem omnem prostibuliq; frontem (cum effrons ipse sis) assumsisti: ut in alijs permultis. Martialis itaq; dicto & consilio audientem te præstes.

A Chione saltem, vel Laide disce pudorem

Sed quid est, quod prolixè cum hoc homine agam, antea toties violatæ veritatis convicto? quum mihi certo certiùs persuadeam, eum cũ hac maledicentia sua apud viros bonos explosũ iri.

Inter potandum, heroica facta suorum decantant, non ex certa aliqua compositione aut melodia, sed prout cuique in buccam venit, Neque cuiquam licet vesica exonerandæ gratia à mensa surgere, verum in hanc rem filia familias, aliave puella aut mulier semper ad mensam stat, intenta si quis innuerit innuenti matulam sub mensa suis manibus ministrat, cæteri interim more suum grunniunt, ne quis strepitus audiatur: effusâ urinâ, pelvim perluit, rursusq; suum officium volenti offert: atq; incivilis habetur qui hunc morem detestatur. Advenientes osculo excipiunt, seque invicem conspiciunt, & contemplantur, si fortè pediculos, qui illos propter lini inopiam maximè infestant, repentes in vestibus

 vi-

vestibus videant: si viderint, alter alteri tollit, & quoties unum sustulerit, toties aperto capite alteri gratias agit, atq; hoc invicem agunt quoad unum viderint. Noctu Paterfamilias cum totâ familiâ, uxore, & liberis in uno cænaculo cubant, laneo panno tecti qui ab illis conficitur. Atq; ejusmodi pannos sine stramine aut fæno supposito substernunt. Omnes urinam in unam matulam nocte effundunt, quâ manè faciem, os, dentes, & manus lavant)

Quid tu, babale, de nostra poësi & carminum ratione, in lingua nostra, adeo peregrinus, nugaris? Immo contrarium verum est: nihil tam minutum cantatur, quod certam & compositionem & melodiam non habeat. Et ad poësin quod attinet: existimo, præter tres linguas orbis præcipuas, vix ullam magis operosam habere carminum rationem, quam nostram. Quoad Musicam & melodiam, non fuerunt adeo amusi nostri homines, quin instrumenta Symphoniaca ipsi artificiose facerent, & melodiam vel musicam, ut vocant, figurativam, recentiore memoriâ noverint. Sunt etiam, qui cantiones 4. 5. aut plurimum vocum excogitent ipsi, & non imperitè concinnent.

Nec cuiquam à mensa surgere licet)

Spurcus ille rhythmista Germanicus, cujus hactenus mentio sæpius facta est, circa Annum 1560. Islandicam gentem fœdis probris deformans, porci nomen & insignia meruit, in Apologetico, part. 2. sect. 14. quem porcum, ut satis apparet, noster hic Blefkenius devoraverit: nihil enim fere in illo reperitur: quod ex hoc non exactissimè depromserit: Immò: Si Pythagoricorum Metempsycohsis locũ habeat, diceres Porcum istum animitus sive animâ tenus: imò quod majus est: corporaliter in Blefkenium migrâsse: idq; ita esse, diligentiùs intuentes fatebuntur.

Hominem autem perniciosum Suis notari hieroglyphico, Ægyptiorum traditiones luculenter testantur: ex quorum philosophiâ paucula annotanti, aurem lector patientem accomodare velis.

1. Sus, Naturâ animal est admodum vitiosâ, pruritu impotens; ait Ægyptiacæ sapientiæ mysta, Pierius. 2. Constat, lac ejus bibentium corpora vitiari, lepraq; & putida scabie contaminari. 3. Quin etiam frequens suillæ esitatio, aciem obtundit ingenij. 4. Ad hæc maleficum est monstrum; quia satis cladem non exiguam infert, damnosamq; inde paupertatem facit; dum teneriorem segetem, non modo depascit, sed fadè proculcta & rostro eruit:

Unde Ovid. Prima putatur
Hostia Sus meruisse mori, quia semina rostro
Eruerit pando, spemq; interceperit anni.

5. Itaq; Salaminij lege statuerunt, ut eorum suum dentes attererentur; qui segetibus cladem aliquam attulissent, de quo etiam apud Belluenses publicè sancitum est.

Hæc fere inter alia Pierius: quæ singula, in nostrum & porcum Gr. & porcivorum quadrant Blefkenium: Porcinam enim indolem utriusq; de Islandia scriptum loquitur: ut ex applicatione patescit.

Ite de Gregorio isto, quædam in Apologet: loco citato: 1. Blefkenius verò, sanâ ne sit, an vitiosâ naturâ & complexione: vel ex priore capite hujus tractatus planum evadit. 2. Scrophæ deinde jam sæpius nominatæ mammâ & lacte nutritum, habet pruriens ad probra & contumelias ingenium: adeoq; calumniæ lepra infectum. 3. Ex hac diæta obtusius autoris nostri evasit ingenium: quod vel ex notatis hactenus liquidò constat: nisi nos propter solstitiorum, & quam superius descripsit, prope trimestrem caliginem, nihil videre Dithmarus putet. Qui jam talem indutus animum, ut suis rosetum & sata intrans, virtutum segetem, quam cavillando & criminando, depastus non est, invido silentio, proculcavit: gentis inquam nostræ Historiam scripturus, laudabile quidvis, aut deformavit aut omisit: cœnum & sordes apud unum & alterum, ex sentinâ plebis infimum forsan deprehensas, sed omnibus, indifferenter aspersas, rostro repando altè voluntas, ac men-

tiendo exaggerans atq; aggravans, graveolentiores reddidit: unde nomen Islandorum deinceps inglorium & omni laude vacuum esset: quæ paupertas longè foret intolerabilissima. 5. Lege igitur Salaminiorum, & Belluensium: famæ nostræ segetem vastanti apro, dêtes confringendi erunt haud immeritò, in quem usum dentarpagam hanc, vel si Plautinum denti frangibulum malit, concinnavimus, nostroque huic tam familiari sc. amico, & strennuo hyaphago, Lucretij hymno parentavimus, dicentis,

Deniq; Amaricinum fugitat sus, & timet omne
Unguentum, Nam setigeris subus acre venenum est
Quod nos interdum tanquam recreare videtur:
At contra, nobis cœnum teterrima cum sit,
Spurcities: eadem subus hæc tam munda videtur,
Insaciabiliter toti ut volutentur ibidem.

Hæc ita se habere, de Blefkenio ipsius monumenta loquuntur, quorum nucleum, præsens Pagina, ipsiusq; de Islandia libellus continet: De convivantium lotio: de salutantium pediculis: & unà dormientium matulis, ac lotione: devoratisque morticinijs &c.) Monstrant hæc evidentissimè, quibuscum Dithmarus ille sæpius & libentiùs conversatus sit: nempe cum plebeculâ viliore, cujusmodi ob durum paupertatis telum in ipso hæret littore aut miserâ piscatione, aut piscatorum eleemosynis vivens, & loca mediterranea, propter inopiam & ignaviam refugiens: specusq; habitat subterraneas alicubi, sed rarissimè: plæriq; enim casulis humilibus, pellendo Iovi extructis, utuntur, sicq; delitescere malunt uno loco, quam ostiatim mendicare. Hæc pauper pebelcula si quid tale designavit, qualia huc, ad historiæ suæ supplementum Dithmarus adscivit: quæso, quo jure, universæ genti, paucorum nota inuritur? Cogor enim eodem refellendi, quo ille scribendi & asserendi, genere uti: quid inquam miseri, abjecti, spreti (licet injuriâ) homunciones, ad plebem totam magis ingenuam? An Dithmarus in suâ gente nullos habet mendicos, nullos egenos, nullos inferioris sortis homi-

homines? O sortis humanæ ignarum & inattentum virum! quis scit quidnam serus vehat vesper? Quis: an Blefkenio etiam ad horum conditionem res redire possit? Unde vel hac causâ pauperum insultatione abstinuisset.

Habitant verò præter egenorum turbam, in locis maritimis, viri plurimi ingenui, virtutum & morum honestate nullis secundi: in quorum tamen familiâ, si quædam interdum (ut ubiq; gentium) deformia, quoad mores deprehenduntur, causam ex tuo Munstero & Kranzio, Blefkeni, pete: Qui mercatores terram hanc frequentantes, cum mercibus, vitia quoq; extraneorum, invexisse ajunt: in quo utinam veri vates non fuissent.

Hîc bonos omnes compello ut considerent, quomodo religiosus Blefkenius inde Dei Opificis Sapientiam, Bonitatem, Potentiam commendet, quod unicũ supra prę se ferebat. Ex hac sc. contumeliâ ꝓximi, variâ & multiformi scribente Dith. Deus laudem captabit? ô miser Dith. Quem tu tandem Deum facis autfingis? illud ne unquam legisti: *Qui calumniatur pauperem: deridet factorem ejus.* Deridere Deum & eundem Magnificare: sunt ne tibi Blefkeni contraria? Non inquies: ego ista bene reconciliare possum. Væ, qui te & Deo & hominibus imponere putas. Nec enim hisce calumnijs, Divina tantum, sed & humana hospitijq; jura violasti. Biennium, si vera perhibes, hospitium Islandia tibi præbuit: At quale hospitium? Placidumne & humanum? immo plerunq; gratuitum, Ast tu interim quam gratiam refers? Talem sane Islandicæ gentis Descriptionem, quâ ignominiosior ne cogitari quidem possit, quam tamen verbo uno aut altero minus ignominioso mitigare & fucare voluisti. Sed detracta est larva, & furcifer deprehensus. Refer ad veritatem & Synceritatem Blefkenianam.

Antiquitas quidem inauspicatum duxit, aspidem tecto recipere aut alere. Ac interim tamen veterum monumenta aspidem nobis suppeditant, quæ gratitudine Dithmarum superet: hospitijq; jura sanctius servârit. Autor enim est Plutarchus, virum quendam Ægy-

Ægyptium, religione patriâ, aſpidem adeo familiater educaſſe, ut menſam ipſius ſpontè frequentaret: quæ quum catulos enixa eſſet, ac eorum unus hoſpitis filium necaſſet, Parens intellecto facinore, ipſa quoq; ſuum catulum vindictæ ergò interemit, ſibiq; ſpontaneum & perpetuum exilium indixit. Quare Blefkenius cum ſe aſpide deteriorem, hac quidem in re, præſtet: absq; ulteriore elogio, ſat ſuâ miſeriâ miſer eſt.

Ad finem hujus tertij capitis Blefkenij, meminiſſe viſum eſt convitij, quod cap. 5. ab his ſejunctum voluit: De catellis hirſutis: quos *difficiliùs quam filios à parentibus, impetrari tradit.* Hæc & ſimilia, quæſitâ occaſione, ſparſim libro ſuo inſerta in Deos hoſpitales evomere non piguit noſtrum hyaphagum Blefkenium. Quippe ut Suilla præ reliquis adeo parabilis eſt, ut ex illa, teſte Plin. quinquaginta ferè ſapores, in ganeis confici poſſint: ita Dithmarus ex ſua devoratâ porcinâ, totidem fercula, hoc eſt probra, confecit: quibus ille animam, velut alij Caponibus, perdicibus, gallinis, phaſianis, attaginibus &c. gulam, paſcere ſolitus eſt, Quem ego tum, ſuum illum porcum maledictis ſaginatum, intuentem, hiantique ore & ingluvie paratâ, dicentem, audire videor: *Quanta pernis peſtis erit: quanta lumbis.* Cum Plautino illo nempe, ſervo: Quum ſe ſolum & ſine arbitris domi relictum animadverteret. Porro de hoc convitio à pueris & canibus petito, vide Apologet. part. 2. ſect. 1. & 7. contra quod lex noſtratium, de Plagio, inter alia, ibidem citatur. Eſt autem jocus quorundam, quibus fortuna novercata eſt, liberis onuſtorum, ut ſi quis hoc vel illud ab ijsdem licitetur, reſpôdeant ſubridentes: merces meas, quibus abundem, cernis (liberos digitis monſtrantes) cur ex hic aliquid non licitaris? Quum tamen miſeri parentes, naturali ſtorgâ vel ſummos mortalium æquent. In hos fortè Blefkenius inciderat, & amatorum credulitate deceptus, de quibus verſiculi:

Stultus quando videt quod pulcra puellula ridet,
Mox fatuus credit ſe quod amare velit.

Talia

Talia in historiam suam retulerat. Et simili quoq; modo: qui Munstero & alijs ista de catulis & pueris ingesserunt, deceptos esse, dubium non est: affectatâ, inquam, credulitate. Nam alioquin, catulos plus pueris amare: in hominem quidem non cadere, nedum Christianum: Munsterus & Krantzius noverant.

Tempore hyberno ante & post solstitium.) De hac insania fuit supra. ad cap. 1. eritq; hic finis tertij capitis Blefk. de Islandorum moribus: ut Autorem hunc, cum suis veneficis, suis prostibulis, suis stupris, matulis, (alijsq; quæ honestè nominari non possunt) phthiriasi & plagio: in malam rem ablegemus.

IN CAPUT IV.

De mirabilibus fontibus & stagnis in Islandiâ.

TEmpestivum jam tandem videtur Dithmare, ut abs te promissa nominis Divini, hoc est Sapientiæ, Potentiæ, Bonitatis Dei, commendatio incipiat, aliterq; sese habeat: quam quæ hactenus, præcipuè cap. 3. designata est. Adesdum igitur Lector & Blefkenio prolixâ. Mirabilium Islandiæ narratione, Deum Opificem concelebranti, ausculta.

Mergi rubei) istud de mergis penitus ignoramus & pro figmento undecunq; hausto habemus. Multa enim licet se vidisse & expertum esse dicat Blefkenius, tamen ex alijs saltem habet. Non est autem absimile vero, quempiam animadversâ hominis curiositate & credulitate, nonnulla ad stuporem usq; fingendo, aures ipsius detinuisse.

Thermæ) Quid est Blefkeni, quòd Thermæ aut fontes diversæ efficaciæ in Islandiâ, majorem tibi admirationem movent, quam eædem Naturæ operationes, in reliquo terrarum orbe repertæ? Et quantum ad Thermas an fama te latuit, Thermarum Badensium, Gebarsuilensium, Calbensium, ab Euchsio commemoratarum: ac aliarum per Germaniam, Galliam, Italiam notarum? Tune Pyrophlegetonda, Epyri fontem Aristoteli celebratum, assigna-

tis quidem causis naturalibus, lib. de Mundo, inaudivisti? Cur autem Senecam non legisti, lib. 3. quæst. naturalium? stuporem is tibi non naturalem exemisset: ut & Pontanus, Thermas canens Bajanas. De quibus omnibus in Apologetico.

Ad occasum insulæ ingens est Lacus fumosus) Neque huic miraculo experientia nostra attestatur: Quod si veri quid subest, non ad Occasum, sed Meridiem, Scalholtia non procul juxta villam Haukadal, aliquid tale inaudivi de fontis cujusdam (non lacus) ibidem scaturientis naturâ, quod stupendum etiam alibi obvium habet Blefkenius. Nam & Seneca talis fontis meminit: & Ovidius de Ciconum flumine prodidit, Metam. 15. Georgium Agricolam evolve, Dithmare, de fonte tractus Elgobani: Evolve Domitium Brusonium, de Silare amne: & huic astipulantem Plinium. Evolve quoq; alios scriptores, de guttis fontis Gotici lapidescentibus si sparguntur: itemq; alios: de Cepusti aquâ in Ungaria, in urceos si fundatur lapidescente. Evolve Plinium de Ciconum flumine Ovidio subscribentem: itemque de lacu Piceno. Evolve Cardanum (ad fontis, vel lacus tui algorem quod attinet) de quodam fonte, in agro Corinthio, nive frigidiore: deq; alio, cujus aqua quum fervere videatur, sit tamen longè frigidissima.

Alius quidam qui cerealem liquorem ebullit) Non hoc fictum prorsus est, sed nulli ferè sunt usui: aqua enim ista, nisi è vestigio pota, evanidi saporis & sincerâ aquâ deterior fit: nec ad morbum Gallicum profuisse, cuiquam nostrum compertum est: id quod de Thermis veri similius, si medicorum præscriptum accederet. Porro aquas saporiferas, quare apud Senecam non admiratus es Dithmare: quarum aliæ famem excitent, aliæ inebrient, aliæ memoriæ officiant, aliæ juvent eandem, aliæ deniq; vini saporem repræsentent? Cur non in Andro, fontem Nonis Ianuar: vino fluentem suspicis? Cur non alium Carthagine oleo manantem & Cedi odore stillantem? Cur non Orcum Thessaliæ fluvium? Cur non Oleosum fontem in Saxoniâ juxta Brunonis oppidum teste Cardano?

no? Cur non Naxi flumen (quæ una eſt Cycladum) à Propertio decantatum? Apud autores quoq; probatos, aquarum, ut ſapores & odores, ita etiam colores, admiratione tuâ digni erant. Sed hic parcior ſum, quum tu fontem coloratum nullum ponas.

Sciſſura in rupe eſt: ſi lapidem inieceris, poſt dimidiam horam audies illum decidentem, quaſi in vaſa ænea)

Innumeræ ſunt ejusmodi rupturæ etiam profundiſſimæ; ſed quod de morâ deſcendentis in eam lapidis injecti memoratur, fabulam facimus. Saxo fontium meminit nunc excreſcentium, nunc ſubſidentium, quos in littore vel ad littus vidimus, pro maris acceſſu & receſſu exundare ac minui. Sed aqua propter attractum terræ vel ſpecus ſubterranei qualitatem aliquam, ſalſedine licet careat, tamen fluviatili deterior eſt. De ſimilibus lege & admirare Plin. quorum unus in inſula Tenedo, & alius in Agro Pitinate: refertur & tertius ſatis largus: qui ſingulis horis intumeſcat, & reſideat.

In media inſula Lacus qui peſtiferum fumum exhalat, ut etiam aves ſupervolantes ſuo veneno interficiat.)

Hunc prorſus ignorant incolæ: unde mirum quomodo annuo ſpatio à Bleſkenio inveſtigari potuerit. Interim ſi ita eſſet, poterat etiam hoc alibi ſtupere & mirari Bleſkenius, ut in Anigro Elidis flumine, referente Cardano, cujus aqua piſcibus & hominibus peſtifera ſit: Meminit quoque Iſiodorus fontis peſtiferi: & Plinius Stygis, juxta Nonarim Arcadiæ: Itemq; trium fontium exitialium in Beroſo Taurorum colle. Vide etiam Senecæ ſtagnum peſtilentiſſimum. Hæc miracula Naturæ, quum tu Bleſkeni alibi quam in Iſlandia, longè certiora & illuſtriora habere potuiſſes, nequaquam illa una aut præcipua fuit materia Deſcriptionis Islandiæ tuæ, uti in præfationibus, verſuto prætextu commentus es: Nec enim unicum Octernionis folium hæc fontium deſcriptio excedit: ut & ſequens vix tria habet.

IN CAPUT V.
De Montibus mirabilibus.

Sunt in Islandia montes tres valde mirabiles.) Tres quoq; Munsterus & Frisius ponunt. Sed hi alterum Blefk. montem omittunt. Nec immeritò: Miraculis enim istiusmodi prorsus caret. Mons Crucis simpliciter dictus, nullus est qui peculiare aliquid habeat. Tertiùs Munsteri, Helga nempe: à Dithmaro etiam meritò omittitur, ut notatum est in Apologet. Part. 1. Sect. 24. Colliculus enim est non mons excelsus. Sed nos Blefkenij montes attendamus. Quorum primus, ut dixi, nullus est. Alter Snæfellds jøkull, fulgoris & tonitruis nullo modo notabilis, sudo quoq; cœlo summitatem omnibus conspicuam habet: ac proinde vanum est, quod de ipso annotavit Blefkenius. Sed nives habet perpetuas, ut multi alij. Est autem mons Occidentalis Islandiæ versus Lybonotum, maritimus, navigantibus sæpe non obscurus directionis index.

Tertius mons ad Septentrion) Hæcla mons est: in cujus descriptione autor potiss. immoratur, & qui solus ferè hoc capite describitur: quemq; sibi accessum narrat pag. 66. ubi iter suum Heclense prolixè persequitur.

Cæterùm plura sunt hoc loco, quæ Dithmari fidem elevent. 1. Quod Heclam dicat ad Septentrionem sitam; quum sit Islandiæ Meridionalis mons, Scalholtiæ vicinus ut fuit supra. 2. Quod Heclam montem maritimum faciat: eamq; dicat à mari allui: pag. 42. Glacies (Gronlan. inquit) menses tres continuos circa Heclá natat. Quum sit Hecla mons magis mediterraneus, aliquot Milli: à mari distans: Hinc mihi fit verisimile, Dithmarum hunc, totam suàm scientiam Heclensem ab auditu habere, incertissimaq; famâ: totumque iter ipsius Heclense confictum esse penitùs: Immo, locorum & conditionis hujus terræ conscius, audacter diceret, Blefkenium Islandiam nunquam attigisse; aut hic saltem nequaquam diu

diu moratum esse, nedum biennium. Adeo enim absona à re & veritati contraria scribit: Tum de situ Holensis & Scalholtensis cathedræ supra: Tum hîc de Hecla; ipsamq; alluente mari & glacie circumnatante. Quocirca ipsius in summo versatur fides discrimine: id quod probâsse oportebat.

Aliquàndo aquam ignitam eijcit)

Vanum: nisi de thermis in Heclæ vicinia repertis intelligatur. Aquam vero ignitam, æquè habemus, Blefk. quam tu infra, flammeam pag. 59. (quum ferventem ut spero intelligi velis) quàm ignem aqueum.

Summa ibi tranquillitas, ubi Zephiri spirant)

Omitte mi Dithmare, ventos & cardines cœli discernere velle: ut qui terram à mari paulò antè, etiam coram (siquidem vera dicis) non discreveris.

Damnatorum animas hic torqueri)

Vetustum & anile commentum, de Orco Heclens. Apologet. part. 1. Sect. 6. & 7. ac sequentibus, satis explosum: ubi pariter de Inferno glaciali. Quod duplex commentum, autores & scriptores suos ridiculos fecit.

Hic quid ego sentiam, liberè dicam) &c.

Imperitus subligaculo indutus, omnibus id ostentat: Cæterum nihil prorsus tibi in Physicis tribuimus Dithmare: ut subterraneos illos caminos nobis expedire possis: qui quæ ante oculos, aut non vidisti, aut visa falsò retulisti & ineptissimè. Quod ex dictis satis liquet. Quinpotius ea, quæ de incendijs subterraneis ex probatiorum Physicorum ratiocinibus Apologet. part. 1. sect. 6. pag. 12. allata sunt nobis satis facient: quæ in gratiam Blefkenij, hîc repetenda non duxi. Saltem, ut capite superiore fontes, ita hîc montes aliquot igniferos, Dithmaro suggerere libet, in Natura miraculis non aliter vel minus, quam Heclam, ponendos, ut Chimæram Lyciæ montem: cujus flamma nocte dieq; immortalis perhibetur. Tum etiam Ephesi non nullos montes. Tum Cophantum Bactorum

montem. Tum Hieram insulam: itemq; Æoliam: Tum Babyloniorum & Æthiopiæ campos: Liparæ quoq; tumulum, Agrum etiam Neopolitanum ad Puteolos: Teneriffæ Pyramidem: Tum deniq; Vesuvium & famosissimam Æthnam. Quos apud suos Autores & Historicos eodem quo ego labore Dithmarus requirat: aut Apologeticum nostrum consulere dignetur. Quibus adde, in Apologetico omissum, Ænocaumam montem, perpetuis ignibus ardentem: autore Plinio.

Fontes plus aquæ scaturiunt.)

Ut Historiam mundi suis monumentis locupletare voluit Autor: Ita quoq; Grammaticis, novâ autoritate, novóq; genere loquendi gratificatus est: ad quam rem lynceus esse nolui, licet sæpiusculè designatam: qualis hic est usus verbi Scaturio: significatione activâ & verbi *Assequor*, pag. 45 significatione Passivâ? *Non potest*, inquit, *Cogitatione assequi, quàm horribile fuerit)* Sed quale est illud pag. 46. glacies insulam alluit. Nos verò aquæ, non solidorum (ut glacies est) alluviem & alluvionem dicimus. Ut jam Blefkenij aquam ignitam & aquam flammeam omittamus: Quem jam meminisse decebat, se non Barbaris, licet de Barbatis: sed Batavis scribere.

Mare ad 2. milliar. retrocessit eo anno quum in Islandia essem).

Nempe 1563. aut 1564. id factum oportet, ex veritate & fide Blefkenij. Habent autem Annales nostri de eruptione flammarum ex ipso mari, juxta promontorium Reykianes factâ, Anno 1226. & 1236. Sed adeo recentem, ut Blefkenius notavit, nullam recensent. Ast verò quod mare ad 2. millar. retrò cesserit, crassum est figmentum. Servat enim hodie eosdem terminos, ab avorum memoriâ nihil mutatos.

Hæc glacies menses tres solùm circa Heclam natat)

Nunqum circa Heclam ut locum mediterraneum, nedum 3. menses quotannis. Immo glacies ista in conspectum Islandiæ Meridionalis venit quam rarissimè. De parte autem vel frusto hujus

glaciei

glaciei linteis & ſcrinio aſſervatâ lege Apologet. part. 1. Sect. 10. nihil enim habent fabulæ Mileſiæ aut gerræ Siculæ unquam vanius.

Damnatas animas in glacie torqueri)

Protrita eſt hæc & impietate plena opinio vel credulitas Apologet. part. 1 ſect. 9.

Quod Satanæ haud difficile)

Non continuo quod, poteſt Satan, facere permittitur. Ad cujus Potentiam, ut & Olai Goti autoritatem, fruſtra te recipis Dithmare, ut aliâs cum tuis paradoxorum manipulis.

Navigavi ad hanc glaciem: & animadverti)

Tune igitur tam vecors, ut de humanis vocibus, à glacie perſonatis, aliquid ſuſpicarère, aut veras crederes, niſi acceſſiſſes? ô ſcrupulum vitæ cum diſcrimine Dithmaro eximendum! Sed quid hic torqueri creditum eſt? Animas ais, pag. 47. ô ſapientiam Blefkenianam! non poteras, ſine acceſſu ad glaciem, ratiocinari, animas inſtrumento corporeo deſtitutas, vocem & ejulatum edere non poſſe? ô deniq; Phyſicum, in incendiorum ſubterraneorum cauſis ediſſerendis pauló antè ſat ingenioſum & promptum! Sed Dæmon, inquit, poteſt vocem edere in glacie &c. quo phyſicæ miraculo ſuprá fruſtum glaciei ſcrinio ſiccato evaneſcens, veſtivit. Potuit etiam, Dithmaro ad glaciem navigante, voces edere Dæmon. Sed nôrit Autor: à poſſe ad ineſſe vel facere, malam eſſe conſequentiam. Quin tu igitur Dithmare à Satanæ potentiâ quidvis fingis, & pro Hiſtoria venditas?

IN CAPUT V.

De Islandicorum divitiis

N*ullus ager, Nullus hortus)*

De ſterilitate inſulæ vel ſoli Iſlandici Blefkenius minus aberrat: Nos eâ Benedictione contenti ſumus, quam Divina clemẽtia, terrâ mariq; annuatim affũdere dignatur. Interim tamẽ olerũ aliquot

aliquot genera hic ſeri vidimus, & frumentum in quibusdam Meridionalis Islandiæ locis creviſſe audivimus.

Pecuniæ nullus amor)

Hoc utinam verum ſcriberetur. ſed & hic error eſt: nam auri & argenti ſitim commercia exotica invexerunt: quod Munſterus & Friſius etiam ſuo tempore, contrà quàm Bleſkenius, teſtati ſunt.

Ædificia omnia ſubterranea)

Hoc quam falſum ſit vide Grymog. Lib. 1. cap. 5. & Apologet. part. 2. ſect. 2. 9. & 15. ubi de Islandorum habitandi, ædificandi, convivandi aliaq; vivendi ratione.

Betula uno loco hominis ſtatura)

Dota olim inſula ſylvis denſiſſimis conſita fuit: adeo ut errantes pecudes poſt annum unum aut alterum recuperatæ tandem ſint & itinera, cæſis arboribus, aperta. Sed ita nunc rerum natura conſenuit, ut maxima pars Islandiæ ſylvis careat. Quæ nihilominus paſſim ad huc reſtant, ſed betulæ tantum feraces & quam Bleſkenius refert alibi proceriores, alibi humiliores, quę etiam pro temperie anni, plerunq; prius vernant quam idem hic notavit.

Boves ne rumpantur)

Futile: ex ſcriptoribus aliis, ut plura, cæcâ imitatione repetitum.

Nulli ſues, non gallinæ)

Paſſim gallinæ, ſues rariores.

Canes hirſuti)

De hoc opprobrio fuit ſuprà

Urſos)

Nullos habet Islandia niſi cum glacie Gronlandicâ raro adventantes, & cum eadem fere recedentes.

Aves habent nullas præter aquaticas)

Corvi igitur, falcones, perdices, quas hic haberi confitetur, aquaticæ? ut & quas omittit: Aquilarum genera diverſa & accipitres

pitres minores, pafferes domeftici & Sylveftres, aulada, cuculus &c.

Lufitani Hifpani)

De horum aucupio nihil quicquam Iflandis conftitit nec veri fit fimile.

Truttas, Sturos)

Non abundamus pifcium fluviatilium diverfis generibus, vix enim præter falmonem majorem & minorem ullos agnofcimus. De balenis, & monftris marinis, finimus ut autor fibi fuoq; Olao Goto fapiat.

IN CAPUT VII.
De Islandicorum judicio.

N*Ullo alio loco jus dicitur)*
Lege Grymog. Lib. 1. cap. 6. & 7. & videbis hoc, de uno tantum judicij loco falfiffimum effe. Poffum enim in boreali Iflandia tantum dimidiâ 24. loca, foro Iudiciali antiquitùs dicata, & etiamnum retenta, enumerare, Quid tum in totâ Islandiâ? Sed ille locus quem Blefkenius hic attingit eft, locus fori Magni & Anniverfarij, quo caufæ in particularioribus judiciis fingulis annis minùs ventilatæ deferuntur. Ita, mi Lector, nofter hic Dithmarus, rerum noftrarum verâ & exactâ cognitione in plerifq; deftituitur: & nihilominus vult Hiftoricus haberi: omniaq; audacter & fronte perfrictâ tanqam indubitata fcribit, cum nihil certi habeat. Eodem modo de judicum fuperiorum & inferiorum nomine & numero deceptus eft nofter Ardelio: Cujus erroros hoc loco reftituere, nihil laboramus; Legatur Grymog. loco citato.

PARTIS II. MEMBRUM III.
In Appendicem: quæ eft de Gronlandiâ.

ETfi hæc de Gronlandia, aprosdionyfa funt, & titulo Blefken:

libelli non respondentia;tamen quia his multa de Islandis admiscuit,prætereunda non duxi,ut planum simul fiat, ipsius Gronlandica relatio & navigatio,quo in precio apud nos sit; sicq; unum ex alio æstimetur. Namprimò, quòd de Episcopo Gronlandiæ 1546. Islandiam salutante & Monachum Gronlandicum hîc relinquente, quicum præfectus insulæ & Blefkenius Anno 1563. de Gronlandia collocuti sint,id nulli unquam nostratium persuaserit verum esse. Cui figmento licet tota reclamet Islandia,unum tamen Dn. Gudbrandum Thorlacium commemorabo: qui Anno 1542. Natus,& hîc in patria sua educatus præter quadriennium, quo in exteris studiorum gratiâ absuit,hic inquam,vir, Annis jam 40. Diœcesis Holensis Episcopus cum alijs fide dignissimis, constanter hanc fabulam negat; quorum fidem Blefkenij relationibus,tot errorum convictis,jure præposuero.

Annales præterea nostri, de Episcopis Gronlandiæ post Ann. 1460.nihil habent; quo Andreas quidam Gronlandiæ Episcopus fuit etiam vice Episcopus Scalholtensis. Ac ut altiùs quædam de Gronlandiâ repetantur non quidem, quâ situm aut distantiam, nec enim in proclivi est, propter tam varias recentiorum sententias,sed quâ temporum seriem indagandam,hæc subjiciam.

Ericus Ruffus,fuit vir quidam celebris in Islandia Occidentali natus ibidemq; educatus & habitans, sed Norwegorum nobili stemmate oriundus. Vide Grymog lib. 2. Genealogia 5. Hic primus omnium versus Occidentalem plagam, ex patriâ navigans, terram reperit cui post triennium,quod ibidem exegit, Gronlandiæ nomen indidit,eamq; mox incoluit &gentem condidit Gronlandicam, in terrâ antea prorsus desertâ, sedibus positis in sinu à suo nomine dicto: Eriksfiordur,extructo pago,Brattahlijd vocato&altero,in ulteriore sinus ripâ,huic opposito:nomineStockanes.

Gronlandi post Annos 18 hoc est An.1000(quo & Islandia totaliter) ad Christianum nomen conversi sunt: Operâ & devotione Olai Tryggoni: Nor Reg.cui negocio Leifus,Erici ruffi Gron-

landi-

landicæ gentis conditoris filius præfectus eſt, in Norwegiâ pr us Sacro fonte abſutus.

Gronlandiam veteres dividebant in Orientalem & Occidentalem : Auſturbygd och Veſt urbygd : unde colligo, ad Meridiem & Septentrionem non fuiſſe habitatam. In Orientali Gronlandia Parochiolæ conſtitutæ ſunt 12. In Occidentali tantum 4 ſingulæ nominæ notatæ. Hinc Epiſcopi additi : Nempe Anno 1121. quidam Ericus, ſed quantum ſuſpicor, cathedram (quæ Gardenſis dicta eſt: Gardar à Grenlande Biſkups ſtoll : ſita in ſinu Einars fiord) non adijt, Traditur enim eodem anno, inſulam Vijnlandiam illis dictam, iviſſe quæſitum, in quo itinere forſan perijt. Suſpicio illa hinc eſt : quod Arnhaldus à Lundenſi Epiſcopo Scaniæ circa Annum 1124. rogatu regis Nor. ordinatus, à pleriſque primus Epiſcoporum Gronlandiæ numeretur cum ſc. ante annum : hoc eſt Anno 1123. Gronlandi Nor. tributarij facti eſſent.

Monaſterium in Gronlandia nullum unquam commemoratur. Eccleſia vel Cathedra Gardenſis D. Nicolao fuit dicata, quem conſtat iſto ſeculo, nautis, ac præcipuè tam longinquas oras petentibus cultum eſſe.

Arnhaldi in Epiſcopatu Gronlandiæ undecim ſucceſſores, diſtinctis temporibus numerantur. Ad Annum uſq; 1389. Quo Henricus quidam præfuit, cujus ſucceſſor Andreas Anno C. 1461. ut ſupra Islandiam attigit. Poſt hunc autem annum altum eſt de Epiſcopis, nedum Monachis Gronlandiæ, qui nulli fuerant, ſilentium. Unde Blefkenij Monachus Gronlandicus Anno 1563. cum ipſo per interpretem locutus, ut ait, non modo ſuſpectus ſed plane nullus omnino fuit. Interim reor, ſi quid huic colloquio ineſt veri Monachum quempiam Islandiæ ex Cœnobio Videy. qui tum temporis Beſſaſtadij converſabatur, cum Blefkenio locutum (ut mihi D. Gudbrandus Thorlacius retulerat, eum tunc ſibi & viſum & auditum) ac de Gronlandis, quorum memoria recens apud Islandos vigebat, quædam retuliſſe : Blefkenius verò, ut veri-

ſimilius ſcriberet : ſe iſta à Monacho Gronlando habere aſſerit.

Is enim cum ſupra in narratione quadam de duobus & diverſis Iſlandiæ Epiſcopis, res, perſonas, tempora, Immò & loca valde diſſita confuderit: nihil mirum ſi Monachum Iſlandum, de Grondia referentem, Gronlandum vocet: & alia quædam novitatis ergo invertat. *Suntq; ibidem fauces)*

De his ſupra ad caput primum Bleſkenij.

Præfectus navem quæ hiemaverat)

Incipit iter Bleſkenij Gronlandicum quod plurima ſunt quæ in dubium vocent.

Annus jam Ch agebatur 1564. Siquidem Martius redierat: & Bleſkenius, in Iunio Anni 1563. Hamburgo in Iſlandiam advenerat. Hoc autem ipſo Anno 1564. Dn. Gudbrandus Thorlacius, ex Academia Hafnienſi in patriam redux, navi Regiâ, portum Beſſaſtadenſem petente, vectus eſt, ibidemq; præfectum inſulæ Paulum Stigotum in Iunio ſalutavit, conventuiq; anniverſario ult. Iunij & ſequentibus de more gentis celebrato, interfuit. Cui & ſe Dithmarus ex itinere Gronlandico reducem interfuiſſe ait & in ſumma præfecti familiaritate; indeq; ad Heclam, præfecto comites providente, profectum eſſe; menſes 2. in reditu decubuiſſe; interea naves Mercatorias ſolviſſe; & ſe cum præfecto ſequentem Hyemem uſq; in æſtatem Anni 1565. Beſſaſtadi commoratum eſſe. &c. Quæ omnia inpoſſibile eſt latuiſſe Gudbrandum, eodem tempore, eadem veſtigia, Beſſaſtadij & in conventu anniverſario, ac inde Scalholtiam, terentem: nec minùs ipſi præfecto familiarem (quam ſe Bleſkenius fuiſſe jactat) ac proximum triennium Scalholtiæ agentem, munereq; perfunctum pædagogico. Qui quo pacto omnia à Dithmaro hic allata neget vera eſſe, ipſius ſit indicio ad lectorem Epiſtola. Deinde quoq; abſurdum eſſet, multos Iſlandorum ad iter Bleſkenij Gronlandicum aſſumptos, patriam iſtâ famâ redeuntes non compleviſſe eorumq; nonnullos adhuc ſuper-

superstites, eorumve liberos apud nos inveniri Totis annis 43. Sed qui potuit Navis Regia Anno 1564. Gudbrandum advehens ex Daniâ eodem tempore Blefkenium vehere in Gronlandiam? Nec enim ullus unquam probabit, istis annis, præter unicam Regiam navem Islandiam vidisse: eamq; hîc nequaquam hiemasse. Adde quod Blefkenianam vanitatem adhuc manifestius arguit; Præfectum insulæ ea ipsa hyeme, quâ cum ipso in Islandiâ vixisse se narrat Dithmarus (nempe ab anno 1564. in annum 1565.) in Islandiâ non fuisse. Id quod indubie ostendam: ad hoc non solùm vivorum testimonio sed etiam Actis publicis usus.

Tenuerat enim annis aliquot dubia quædam inter Regem & Islandiæ Episcopos consultatio, super casibus nonnullis, qui ante sublatam Clero jurisdictionem veterem, ad ipsorum consistorium pertinebant. Unde Rex Episcopos ad constitutionem Patris Dn. Christiani Tertij Dan. Norw. &c. Regis: & ad Ordinationem Ecclesiarum Danicarum, remisit patente diplomate Dat. Friburgi: 20. Mart. Anno 1563 & ut hac præeunte, pro suâ gente, primores populi faciant plebiscitum, mandat.

Consultatur de hac re in Annum sequentem: adhibito præfecto: qui Anno 1563. Daniam non reviserat. Anno igitur, 1564. ad Iun. de casibus istis controversis statutum est publicè: cujus statuti Regiâ autoritate confirmandi gratia, idem insulæ præfectus, eâ ipsâ æstate Anni 1564. in Daniam abnavigavit & apud Reg. Majestatem, ineunte vere Anni 1565. voti compos factus est. Dat. confirmationis, Lundæ *Scanorum*, 13. April. Anno prædicto 1565. quâcum præfectus, eo ipso anno ad nos reversus est, nec postea Daniã vidit Anno 1566. in Islandiâ piè defunctus. Quæ, si quis Archiva regni consulat, ita deprehendet. Quare me tandem, cum homine, veritati adeo manifestè vim inferenti, actionis nimiùm piget. Æquè enim verum est Anno 1565. naves nullas mercatorum, propter gliscens bellum Suecicum huc navigasse, ac illud, ipsam annotinam ex Dania, quæ præfectum tum advexit, uti dictum est, desideratã esse.

Mare Tartaricum, ab alijs sed frustra tentatum)

Quare Blefkenii, utilissimi ad tuam professionem axiomatis oblitus es? Oportere sc. mendacem esse memorem, quò contraria minus proferat, sed artificiose mentiatur. An tam cito Bremensium navigatio, per has fauces, te autore, succedens in Mare Tartaricum excidit? Deinde paulò etiam antè dixeras: per has fauces navigatum esset quoties sc. per glaciem licuisset. Iam verò illud iter alijs (ante legationem hanc præfecti Danici, cui tu interfueras) frustrà tentatum affirmas.

Ut singula diligenter notarem)

Fidus, Medius Fidius, & autenticus notarius: cui vel sine exceptione credendum scilicet.

Promontorium Gronlandiæ)

O sagacem navitam! promontoria nunquam antea visa, mox Gronlandiæ esse agnoscit: à tam paucis hodie agnita. Sed cur non cursum & plagam cœli, quà eo navigatum est, exposuit Notarius? Est hoc singula diligenter notare?

Erat præfectus homo Danus)

Dignus omnino, quem tu nomine notasses de te ut ais, optime meritus, cujus nomen si memoriâ, non tamen chartâ excidisse conveniebat.

Mira Heclæ tranquillitas: ecce subito magnus fragor)

Redit à narratione Gronlandicâ ad Philosophiam Heclensem, ubi primum miratur subitum quendam fragorem, &c. Atqui mos est Magnatum, Dithmare: ut Bombardarum fulmine, vel tonitru, venientes aut abeuntes salutari velint. Unde, si tui Heclenses Manes, pari te honore excepturi erant, ne mirère: ex tam remotis oris salutandi eos gratiâ eò delatum. Sed non oportebat vacuum comparuisse: Quare inter ipsos convênit, ut propria valetudine ipsis litares; & videsis, ne secundò adveniens animâ & corpore ipsis lites.

Hærebant Lusitani)

Si unicus in Islandiâ reperiatur Lusitanici aucupij hîc excerciti, vel

vel falconum alborum, magnâ copiâ avectorum testis, Blefkenius me ad lubitum mendacij arguito. Falcones autem hîc albi æquè ferè rari sunt, quam Corvi albi aut Cygni nigri.

Minister Jonas)

Colophon insignis Operis, De Islandiâ, ac simul nova hospitalitatis gratia, de sudario, ad ciendas tempestates secundas, incantato. Quod sive verum, sive fictum sit, non minorem ipsi Blefkenio creat infamiam veneficio utenti, & nodos istos solventi: quam isti Ionæ nectenti de quo fuit supra ad cap. 3. Ego autem sentio Ionam illum simulato incantamento Dithmaro illusisse, ut libris ipsum emungeret. Sed propter Blefkenij fidem superstitiosam effectum secutum, si (inquam, ut *alias*) verum hic perhibet scriptor noster: hæc enim Conditionalis dictorum Blefkenij posthac individuus sit comes oportet; Totus namq; Echinus asper; Dithmarus in figmenta ubiq; pronus. Si itaq; rem gestam hoc loco narrat, crediderim ipsi accidisse, quod anui cuidam oculis captæ, de qua alicubi Dn. Nic. Hemingius, à studioso quodam simulata arte curatæ. Exaravit Studiosus ille verba quædam jussitq; collo suspensa gestaret anicula, neq; cuiquam ostenderet, neve ipsa, quid continerent, sciscitaretur. Morem gessit multum diuq; anus suo medico, visumque recepit; progressu autem temporis, interdicti oblita, schedam collo gestatam, aperiri & legi curat ubi scriptum erat. *Dæmon eruat tibi oculos & repleat foramina stercoribus.*

Atq; sic tandem, satis magno cum tædio, *Anatomen* absolvimus *Blefkenianam*, prout instituti nostri ratio exigebat: Nec enim ulterius, propter reverentiam spectatoribus habendam, progrediendum existimavimus in sectione hujus cadaveris: Quia putrorem contrahere & vermibus scatere incipit. Unde quidem non Apum examina, ut ex bovini cadaveris cerebro, sperare possis: sed Vesparum (ut ex equino) & crabronum ac Scarabæorum (ut ex asini cadavere & cerebello) densa agmina evolantia.

Ut

Ut æstivis effusum nubibus imbrem, & aërem corrumpentia, metuere debeas : horum siquidem insectorum indolem, calumniæ in cerebro enatæ Blefkeniano referūt, adeo ut si harum veneno infectus aër, à quopiam hauriatur, contagij periculo non careat ; cui hoc qualicunque antidoto, obviam itum & Lectori consultum voluimus.

D I X I.

ANATOMES BLEFKENIANÆ LE-ctori.

S.

Cum inspecto nuperrime, Lector, Dithmari Blefk. de Islandiâ libello, tum res, tum rerum œconomiam, nec non lexes [ex poëtæ præscripto] lepidè, scilicet, compositas ac velut tesserulas, pavimento arte atq; emblemate vermiculato, omnes interlucentes, æquè ac scriptoris genium & candorem peculiarem mirarer & juxta suspicerem, illico dispicere cœpi: Quidnam huc tam bello Historico, pro Rude, vel Insigniorum loco, Patriæ nomine, ponerem. Neq; enim Musarum emeritum militem, utpote ann. 60. egressum (quantum ex ipso colligitur) atque prætcrea peregre venientem; vel non hospitio excipere: vel indonatum dimittere, in veterem Islandorum hospitalitatem cadit.

Itaq; hac illac circumspicienti, mox è sacris Ægyptiorum literis ultrò se obtulit Simia: qua Blefkenium, ob summam utrinq;, Ingenij & morum analogiam, donandum existimavimus. Ac licet plura sint cognata Simiæ hieroglyphica (ut Musca, Asinus, Canis, Scylla &c) Tamen ipsum Simia ferè contentum esse jubemus: ne ob insigniorum varietatem, cristas fortè, ut est hominum ingenium, altiores tollat.

Et de Simiâ quidem quid sim præcipuè all turus, si quis roget; Eum ad Mythologias Poëticas remitto: adque ipsa tam Philosophorum, quam poëtarum, Adyta, ablego. Cur videlicet olim:

Ille Deum genitor, fraudem & perjuria quondam
Cercopum exosus, gentisq; admissa dolosæ,
In deforme viros animal mutavit, ut ijdem
Dissimiles homini possint, similesq; videri?

Animadvertat etiam cur Æſchinem Demoſthenes, Tragicam appellet Simiam? Qualis autem Civis fuit Æſchines Demoſtheni talis nobis Hiſtoricus Bleſkenius.

Expendat deniq; , quâ causâ Plato Therſitem Simiam vocet? eumq; dicat in ſimiam verſum hominum facta ſpecietenus imitari. Annon quoque alius ſcriptor eundem Therſitem pythicomorphon(quaſi ſimiformem)nuncupat?

Ne verò per ſingula ire cogar, vel minutulis inhærere, prolixàve morum ac Naturæ utriusq; Bleſkenij nempe & ipſius ſimiæ, parallela inſtituere, rem paucis abſolvam, atq; unicum ex multis, par utrobique ornamentum, velut exempli gratiâ, proponam: quod IMPUDENTIA dicitur: ſat fœcunda aliorum vitiorum mater & matrix.

Etenim Simia, partibus eis (autorum verba recitabo) quas verecundia occultari jubet, depilatis natibusq́, turpiter denudatis, improbum exhibet ſpectaculum, frequenti quantumlibet ſpectatorum theatro, ſatis cum impudentia &c. Hæc ſuper Simia ſcriptores inter alia: nec ſecus multò noſter ſe gerit Bleſkenius: Qui fœtum turpiſſimum enixus, nempe ſcriptum illud ſuum de Iſlandia, adeo tamen (idquè ſimiarum inſtar quibus ſui pulli pulcherrimi, cujus affectus indicio, ſimiolos nates denudatas habere, Jupiter olim ſimiæ reſpondebat) ipſum perditè amavit, ut Illuſt. Bataviæ Ordinibus omnino dignum judicaret. Nec enim dedicatio muneris minus digni, ullam deprecationem habet.

Quamvis autem ſuperiora hujus pulli vel fœtus Bleſkeniani, humanam quodammodo faciem repræſentent, dico: quamvis libelli initia meram pietatem, immo & eruditionem ſpirent; Tamen partes inferiores, indolem, genium craſin & complexionem prolis Bleſkenianæ, produnt: quippe Mendaciorum Convitiorum & Calumniarum ſanie coruptam. Cujus fœtorem, ut primum exhalabat, Horatianum illud exclamabat.

Quorſum hæc tam putida tendunt?

Adeo

Adeo Blefkeniana hæc Simia finem putidum habet, & posteriora fatis obscœna: quæ non minùs, quam caput ipsum dolosum, illustr. Hollandiæ & Westfrisiæ Ordinibus offerre & obvertere, haud erubuit.

Vetustis Cantoribus usitatum fuit illud: *In fine videtur cujus toni: &c.* quod huc non ineptè accommodamus. Nam si res à suo fine æstimari & ponderari debent: apparet profectò, fuco & ramento pietatis capiti absterso, idem fore de totâ compagine Blefkeniani partus judicium.

Nec verò solùm erga Holland. Ordines hæc se prodit, in nostro illo Historico, *Impudentia*; (quamvis hic maximè & summo cum ipsius periculo) sed & erga alios Lectores quosvis. Impudentissimum namq; est, alios ita ex suo æstimare ingenio, aut nullius naris, aut obtusi sensus, vel palati insensati, ut, quidnam sub hoc pietatis fucato strepitu lateat, non deprehendant. Mugilis hanc naturam ferunt, ut in metu, abscondito capite, totum se occultari credat, de reliquo corpore nihil sollicitus. Sic Blefkenius; Quia in utrâq; præfatiunculâ, *Dei Opificis Sapientiam, Bonitatem, Potentiam*, aliquoties labiotenus personare novit, de reliquo opusculo nihil fuit sollicitus, licet interea insontē nationem sannis proscindat, calumniis deformet, & contemptui habeat. Hoc nempe illi est Dei Opificis, Sapientiam, Bonitatem, Potentiam deprædicare: Et dum id cordatis Lectoribus persuadere se putat, fit ipsâ Impudentia impudentior, Utinam vero bonus Blefkenius, illud Psal. 50. sæpiùs relegisset; Impio dixit Deus: *Quare tu enarras statuta mea & assumis testamentum meum in os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum. &c Os tuum abundabat malitiâ & lingua tua concinnabat dolos. Sedens adversus fratrem tuum loquebare & filium matris tuæ calumniabare. Hæc fecisti & tacui. Numquid existimasti mè similem esse tibi? Arguam te & statuam ante oculos tuos. &c* Hæc, inquam, utinam meditatus esse Islandiæ ille Historicus, & minùs ad probra innocentium, animo perverso indulsisset.

Iam verò illud inverecundiæ minus non habet; quod Senem, quod Seniorem, quem ætas, quem officium Veritatis & Gravitatis admonebant, non puduerit post Ann. ætatis 60. futilitates & calumnias publicando, canos suos & dignitatem commaculare. Quum tamen Plautinum illum, nullâ nostrâ religione imbutum, sola ætas provectior ad verecundiam adegerit. Hoc me ætatis sycophantari pudet, ait in Trinummo. Et ut Senem Terentianum illud Amare, ita nostrum hunc Senem (nedum Seniorem) *Mentiri & Sycophantari*, merito dedecebat. Sed quid verbis opus est? Simia, manet Simia, ut aurea gestet insignia, vel si purpurata & personata incedat, & Blefkenius, Blefkenius, etiam Senex & Senior. Addat igitur ad ipsa insignia, etiam Symbolum Blefkenius, idq; ex Ennio sibi ex parte homonymo,

Simia quam similis brutissima bestia nobis

Cæterum ob eam non uniusmodi impudentiam, parum abfuit, quin Simiæ, etiam Scyllæ monstrum apposuissem, ac inter Blefkenij insignia retulissem: Nam & hæc veteribus, tum aliarum sordium: tum in primis Impudentiæ eximium fuit hieroglyphicum; quam sic descripsit Virgilius 3. Æneid.

At Scyllam cœcis cohibet spelunca latebris
Ora excertantem & naves in saxa trahentem,
Prima homini facies & pulcro pectore virgo.
Pube tenus: postrema immani corpore pistrix:
Delphinum caudas utero commissa luporum.

Quæ carmina, Alciati Scholiastes, vir acerrimo judicio, mythologicè interpretatur, tam de Impudentiâ, quam vitiis cognatis. Et causam reddit ex Fulgentio, Celio Rodingo, Senecâ, &c. Quorum certè authoritas ipsum moverat Alciatum, ut sic de eâdem Scyllâ caneret.

Pube tenus mulier, succincta latrantibus infrà
Monstrorum catulis, Scylla biformis erat.

Monstra putantur Avarities, Audacia, Raptus:
At Scylla est, nullus cui sit in ore pudor.

Talis itaq; quum convincatur Blefkenius (cujus rei in ipso congressu illustriora fuerunt documenta) quid vetat Scyllam, Simiæ additam, inter ejusdem scriptoris insignia referri? Nî nobis pictoris obstet difficultas duo monstra uni clypeo includere renuentis, quod Simiarum impudens salacitas angustias non ferat: ut & ipsius Blefkenij elatum ingenium, ne fortè propter aucta vel locupletata insignia, insolescat. Ego quod in meâ esset potestate, autorem, tantum, ut non Simia, ita nec Scylla frustratum vellem: Tantâ profectò meâ liberalitate veteretur.

Cæterùm miretur vel damnet aliquis, quòd cum hujusmodi monstro in harenam descendam, statuatq; ipsius morsus silentio excipiendos fuisse. Ego verò mi Lector, nisi coactus, non descendissem: omninòq; scriptione polemicâ supersedissem. Sed conscientiam æqui judicis appello, utrum ad tam dira opprobria tacendo convivere integrum nobis fuerit? Qui tacet, ajunt Consulti juris, consentire videtur. Itaq; ne in Loidoriam Blefkenianam consentire videremur, non tacendum existimavimus: Neq; enim Jovis illa ales, licet Cornicis garrulitatem contemnat, Scarabæo tamen se opponere dubitat: quem dolo plus nociturum quam obstreperâ garrulitate Cornicem, rectissimè statuit. Tu valeas autem humane Lector & rem utrinq; recti judicij bilance & æquilibrio velis perpendere.

IN CLYPEUM BLEFKENIANUM.

BLefkenio Clypeum, quid præſtes, vertice ſacrum
Pileolum geſtans? Dic mihi beſtiola:
Quidve ſinu catulus deſignat ad ubera preſſus,
Expirabundo non ita diſſimilis?
Ipſa ego Blefkenium pingo, Sed munera MITRA
Preſbyteri oſtentat, quæ gerit ille diu.
Is peregrinatur multum, multumq; laborat
Noſcendis varijs gentibus & populis.
Sic ego, quæ Libycis educta juvencula in antris,
Divagor: eſtq; orbis notus uterq; mihi:
Non tamen hinc melior, nec doctior inde revertor,
Cælum non genium muto ego Simiola:
Clunibus obverſis namq; obvia quæq; ſaluto:
Sic ille obſcœnus ſe ingerit ORDINIBUS.
En natum complexa meum, quo pulcrior alter
Non fuit, enectum lugeo ſtulta nimis:
Ille ſuâ ſibi quum placeat farragine ſtultus,
Omnino torquet jam Metanæa virum.

ALIUD IN DITHM. BLEFKEN. ILLUM
Islandiæ Coprophorum.

CUi caput eſt ſtolidum cui frons perfricta geneq;,
Cuiq; oculis nullus, nullus in ore pudor:
Lividus eſt dentes: ſunt & diſtorta labella,
Et naſus rhoncos Rhinocerotis agens:
Aures cui patulæ, mens prodigioſa tumensq;,
Pectora nequitiæ ſemina larga ferunt:
Linguaq; cui mendax, nimiumq; proterva, biſulca:
Unâ Operâ Dominum laudat, obeſtq; homini.
Quid monſtri eſt? aut quæ regio tale edidit unquã?
Naturæ Myſtas quæſumus expediant?

Non

Non illud gravidæ telluris Semina prodit,
Nec novit candens Ætheris ora suum,
Ut neq; monstriferi spumantia jugera ponti:
Styx superest, Monstrũ hoc quæ violẽta tulit.
Sive id flammiferi ructarunt Ora Vesevi,
Naturæ flamen dum malè supprimitur:
Æthna vel ignitis vomuit violenta caminis,
Heklave: dum reboans aëra sollicitat:
(Has Erebi stolidum vulgus putat esse fenestras,
Quicum paulisper, Musa age, desipito)
Ergo Erebo veniens, Erebo legandus: & aurâ
Privandus penitus Blefkenius superâ.

ALIUD DE VATIBUS DVOBVS, IMMERItas Blefken, historiæ laudes concinentibus.

Blefkenij vano dum gens Islandica nixu
Scribitur, & vitium congerit ille novum,
Prædixêre duo numeroso carmine vates:
Dithmarum Thule concelebrare studet:
(Felix Dithmaro, felix Islandia: vives
Donec erit Phœbus, Lunaq; donec erit:
Hesperiâ felix Thuli. Dithmare: carebis
Interitu, Thules littora donec erunt)
Vates vera canunt: poterit quis fallere vates?
Fatidicus mentem spiritus intus alit:
Accipe quas Grymogæa tibi persolvere grates,
Et vult, & potis est, Dithmare Coprologe.
Quod si sera nimis veniat tibi gratia, tanto
Seria, prompto animo, jam venit illa magis.
I liber, & nostrum Dithmarum ritè salutа,
Eveniant, dices, pessima quæq; tibi:
Inficiatq; tuos artus turpissima pestis,
Illustris cujus clade Corœbus erat.

IN DITHMARUM BLEFKENIUM, IMPUDEtissimum Conviciatorem Islandiæ, Epigramma.

Si quis ubi ruptis effulminat Hecla Caminis,
Antra subesse Herebi dicat opaca Ducis,
Huic quod vulgaras, procul emigrante Pudore,
Non confert paulum credulitatis opus.
Namq; chaos Montis dum scrutatêre, videntur
Infusa hac genio monstra nefanda tuo;
Laërtis ceu furandi, cum fœnore quondam
Cautus Atlantiades imbuit arte patrem.
Non si Cretensis primævas luminis auras
Afflâsset tellus ingeniumq; tibi,
Probra tot insulsam latè spirantia mentem,
Proflares, insons conspueresvè solum:
Ipse ferax pravi nisi te informâsset Alastor;
Movissetq; nigra scita referre Scholæ.
Non pelago crispas Nereus tot concitat undas,
Nec totfert floccos frigida bruma nivis,
Tu quot in Islandos torques convitia, sannos,
Dithmare, & impuris scommata mixta jocis.
Mira simul res est, quod in arcto limite charta
Putida concludi tot paradoxa queant.
O Monstrum mendax, effrons, immanius Hydrâ,
Ut volucris plumâ, futilitate scates,
Teque fatebuntur Coryphæi munere functum.
Zoilus atque Theon, Argolicusque Sinon.
Te labor, ut tetrum rigidi Plutonis alumnum,
Impius, à Clario segregat ille choro;

Et te falsi loquo sulcantem tramite chartam,
Destituit veri, diva Minerva, parens.
Nec sine supplicio larvata injuria cedet:
Sed ruet in pœnas ultio quaque tuas.
Tu Mystes mitrate, feres, quæ Tantalus, & quæ
Fertur ab irato Lara tulisse Jove.
Si siphus in pœna meritum te fœdera poscet,
Eumenidumq; cavis excipere thoris.
Sed quid te sterili nequicquam carmine tango,
Hipponactæis excutiende modis?
Enceladum nam te, fato suadente, secundum,
Funera post, Æthnæ, conteret Hekla soror.

ELEGIA.
IN STCOPHANTAM, ET OBTRECTATOREM
Islandiæ, DITHMAR. BLEFK. (rectius Diebkenium)
scripta, lege talionis,

A Iona Gudmudo Islando

PEstiferos veluti, conquirit aranea succos
Passim, curvato, dum pede pulsat humum.
Et seu serpentes, distenti membra veneno,
Inficiunt flata, quæ loca cumq; suo.
Siccine Diebkenius Dithmarus, vectus ad Afros,
Et loca, pulchra satis, quæ Crymogæa tenet.
Cum vicijs, mores fœdos, & pessima quæq;,
Impressit cerebro, sus lutulenta, suo?
Dum coluit stolidi, stultus, commercia vulgi.
Res similes gaudens, assiociare Sibi.
Nullus ubi solet esse pudor, reverentia nulla
Sed cum Spurcitie, vita inhonesta nimis.
Hinc hausit scelerum, magnum sitibundus, acervũ
Quem fovit gremio, ter tria lustra suo.

Unde malus tandem fœtus, ſuccrevit in auras
 Vera ſed informis, turpis, imago patris.
Dedicat hunc audax Dominis illuſtribus; ut ſic
 Præſidio illorum, tutior ire queat.
O Valida, atq; diu memoranda audacia! quis te
 Rexit, perfrictæ; dic mihi, frontis homo?
Non pudet in medio mendacia tanta referre?
 Nec gẽtem immeritam, commaculare times?
Vix credo monſtrum, reperiri tetrius uſquam.
 Sive adeant Auſtrum, ſive Aquilona petant.
Grande ſcelus, nugis mulcere Heroibus aures,
 Rumores falſos ſpargere, grande ſcelus.
Maximum at innocuos, Spurcis fœdare loquelis
 Alterius famam lædere; crimen atrox.
Quod quia Diebkenius fecit, nugator iniquus.
 Illius eſt verbis non adhibenda fides.
Ergo boni caveant ſibi, contrectare libellum
 Famoſum, cujus dicitur eſſe parens
Nam quæ de Islandis recitat, conficta probantur
 Plurima: ſi vellem dicere, cuncta, licet.
Quid Scurras inter commiſſum viderit ipſe,
 Deſcribat fœdus, publica ſcorta, liber.
Non genus hoc hominum curamus: pingat id Author
 Dithmar, namq; illi, competit iſte labor:
Prædita, crede mihi, varijs Islandia donis,
 Impertivit ei, munera magna Deus.
Terra viros nutrit multis virtutibus auctos
 Corporis, ornatos, ingenijq; bonis.
Cum quibus inſulſus Dithmar collatus, ut umbra
 Noctis, ad ætherei lumina Solis erit.
Hîc ſunt matronæ fidæ, caſtæq; puellæ.
 Ornatus quarum eſt pulchra pudicitia

Sin-

Singula non possum summa illa charismata fari
Quæ manus, in patriam, contulit alma DEI.
Quæ nisi, sublatis manibus, Dithmare, fateris,
Ingrati cuculi, nomen habere potes.
Et certè es: quoniam tibi quondam Islandia gratis
Præbuit hospitium: sed maledicta refers.
Forsitan at dices: sunt hîc scortilla pudenda?
Si placet illa tibi, quærere, quære domi.
Sed quæ tanta tuæ comes est insania, menti?
Aut tua quis tandem Spiritus ora regit?
Dum te tam spurcum scribis vulgare libellum
In laudem summi, magnificiq; DEI
Num tu, probra putas, tanta & maledicta, placere.
Illi, qui damnat scommata cuncta, DEO?
Erras, si credis, cædendus tergora loris.
Ut capias scriptis, præmia digna, tuis.
Posthac, si sapias, tranquilla silentia disce.
Aut dic, quod præstat, quam tacuisse, loqui
Si tibi liberius quidquam dixisse videbor:
Hoc tua promeruit garrula lingua tibi.

Idib. Martij An 1612.

ALIUD AD EVNDEM DITH. BLEF.

Diebkenium qui te nuper Dithmare vocabat;
Rem dixit: neq; enim es furibus absimilis.
Furatus nostram nequam ter pessime famam,
Ceu probus affectas ire per ora Virûm:
Sic fures, loculos quum deprædentur; honestum
Cum reliquis cupiunt obtinuisse locum;
Dum laqueus vindex jugulum confregerit arctum;
Dithmarum hoc scriptum jamne tacere docet?

ALIVD IN EVNDEM, GENTEM NOSTRAM aculeato scripto compungentem.

QUis mihi Dithmare es vel qualis ſcriptor habendus,
Islandos tua dum ſpurca minerva petit?
Hiſtricibus te componam, ſcabris vel Echinis:
Namq; illis totus Dithmarus aſperior.
Hic contrectantes ſoliti compungere ſetis:
Opprobriis noſtram Bleſkenius patriam.
Quantum F*ama* M*anu* preſtat Dithmarus echinis
Deterior tantum torvus, & hiſtricibus.

A. I.

ALIUD.

IN DITHMARUM BLEFKENIUM Islandorum Philocopron.

MOs olim fuerat gemmas aurumq; coruſcum
Theſauris Regum Nobiliumq; dare.
At ſua nunc donat congeſta Catharmata, ſummis
Dithmarus Hollandis,*principibusq; viris,*
Cur: Quia ſcropha iſthac cœno gaudetq; putatq;:
Mox alijs ſibi quæ ſumpta placere placent.
Errat: Namq; licet diſcerpat dente canino
Islandos: Nunquam res ea grata Bonis.
Sus roſtro fœdat fragrans cœnoſa Roſetum:
Sed calamo gentem Bleſkenus innocuam.
Sus cunctis fœtet multum lutulenta: labore
Futilis hoc fœtet Dithmarus ipſe ſuo.

Scripſit
Dn. Gudmundus Einarius.
Iſlandus

ALIUD.

IN EUNDEM, EDITIONEM COMMENTA- riorum, Si Dijs placet, De Islan. ultra annum 40. differentem.

Hiſto-

Historici perhibent, immani corpore barros,
Usq; premi fœtus pondere lustra duo:
Prodigiosa magis rerum secreta relinquis,
Prole tuâ lustris octo gravatus eras:
Informis tandem tenebroso prodiji aluo:
Ungue tumens spurco: catera truncus iners:
Nec poteras veram lambendo inducere formam:
Præstare hoc catulis dicitur ursa suis.
Quem per abortivum sperasti surgere famâ,
Proditur ingenij larva maligna tui:
Mitte igitur Gyaris malè natum, Dithmare, partũ:
Aut rursum veteris, tegmine conde loci.

Dn. Magnus Olavius
Scol. Hol. Rect.

AD
DITHMARUM BLEF-
kenium.

Quælibet ex fructu proprio dignoscitur Arbor:
Ingenium referũt verba maligna malũ:
Tu scripto mendax in aprico, Dithmare, monstras
Germina naturæ perniciosa tuæ:
Dente Theonino petulanter rodere gentem.
Insontem vacuus dum pietate studes.
Ut porci gemmas spernunt: sed stercore gaudent,
Sic tibi stercoreo stercora fœda placent,
Si tibi non vitæ Lachesis jam stamina rupit,
Tu genero Cereris victima digna cades;
En tibi maxillam, nostras Arngrimus Ionas,
Ajacis Clypeo, conterit indubie:
Dn. Magnus Sigfusonius Islan.

ALIVD
EJUSDEM VERNACULE.

Dithmar hezur ſamſet/
Og ſent of a vont Prent/
J Hollande Herrum til/
Hards Lygd/vm Jſland.
Pr.ſtur þrſkur þo læſt/
Plone Lyrkia armt Flon/
Vndur er: ez Jſland/
Ecke borgar þann Hueck/
A Auxium bar Ajax
Aour zyrre med Dard/
Skiøllo zyrre ſkotello/
So ſkadade eck. zolk þad/
Arngrimur vor Bjørn/
Ver oſſ nu: og hlijz ber/
Trauſtur mu med Trnad beſt/
Taka j burtu hans Blak/

ALIVD

Dithmar darre voffaſt/
Dithmar Lyga pytfur/
Dithmar treggia poitur/
Dithmar zrioſe og luitne/
Dithmar druſſe rietfur/
Dithmar jñan ilitne/
Dithmar drazne og rotne/
Dithmar eige Rythmum.

LECTORI.

Absoluto fere opuſculo, prodeunt multa vivorum teſtimonia quæ Dithmarum unquam in Islandia hybernaſſe conſtanter negant. Referatur ad Veritatem Bleſkenianam: Immò: etiam ad Verecundiam eiuſdem, tam impudenter & audacter mentientis.

FINIS.

1613,